CATECHIS-

mus, siue prima Institutio, Disciplináque Pietatis Christianæ, Latinè explicata.

***

Qui simul eloquio linguam formare Latino,
Et vera mentem Religione cupis:
Hic liber, atque labor votum dabit vnus vtrunq;
Commoda sic vno bina labore feres.

LONDINI
Apud Iohannem Dayum.

Anno. 1574.

Cum gratia & Priuilegio
Regiæ Maiestatis.

Per Decennium.

Thom. Tanner (BB) -

CATECHIS-

mus,

Theologiæque Veteris Chri-

stianæ, Latinè explicata.

* * *

LONDINI

Apud Iohannem Dayum.

Anno. 1574.

Cum gratia & Priuilegio

Regiæ Maiestatis.

REVERENDISSIMIS

in Christo Patribus, ac Dominis, D. Archiepiscopis, Cantuariensi, & Eboracensi, aliisq; reuerendis patribus, Episcopis Ecclesiæ Anglicanæ, vigilantissimis, fidelissimisq; pastoribus.

Vum mente tota in hanc curam incumberem, omnémque adeò operā in primis adhibendā esse existimem, vt pietatis doctrina, quanta fieri potest synceritate, pueris, qui sunt Reipub. quasi seminaria, tradatur, ne vel teneri ipsorum animi prauis opinionibus imbuantur, vel ab ijs, quæ recta sunt, discendis eorum mentes obscuritate nimia auertantur, aut retardentur: pro ea qua patriam iuuentutem beneuolentia prosequor, statui omni ope atque opera mihi enitendū esse, vt illius pia studia promouerem, & Christianæ religionis summam ratione atque compēdio ad puerilem captum non incommodo, dilucidè atque explicatè proponerem. In quo Catechismo (sic enim nostri vocant) non putaui minutis interrogatiunculis, breuibúsque responsis, quasi punctis quibusdam, quod proposui, efficiendum esse: neque satis esse, nudis tantùm assertionibus, asseuerationibúsque vniuersa breuiter simplicitérque affirmare: nisi causas etiam aliquas, rationésque rerum afferrem

Deut. 6. b. 7. & 11. c. 19. & 31. b. 12.
Psal. 132. b. 12.
Mar. 10. b. 13.
Luc. 18. d. 15.

rem, atque subijcerem: Et quò maior fides atque authoritas rebus adiungeretur, testimonia Diuina ex sacris literis in margine libri passim notaui, quibus sibi quisque, vel alijs, cùm harent, satisfacere possit. In hoc etiam Catechismo curam & diligentiam adhibui, vt incorrupta Latini sermonis integritas, quoad eius fieri posset, vbique seruaretur: vt Latinitatem pariter atque pietatem vno eodem labore pueri nostri addiscere possent. In paucis tantùm quibusdam, vel singulis, vel continuatis atque coniunctis verbis, quæ nostra sunt propria, & Christianæ religioni peculiaria, tametsi Ciceronis, & proxima illi ætate Latinis hominibus inaudita, synceræ nostræ potius pietatis, quàm emendatæ loquutionis rationem habẽdam esse existimaui: itaque in contextu quidem orationis ea non mutaui. Verùm ne qui Latinè & purè loqui volunt, quicquam vel hac in parte desiderarent, vbi à communi more verborum Latinorum discessum fuerit, & quibus ea vocabulis, atque loquendi formis posse explicari putem, in fine libri commonstraui. Quòd autem orationis genere fuso, atque profluente potius, quàm exili atque ieiuno vtor in hoc Catechismo, doctissimorum ex veteribus iudicium, consiliúmque in eo sum sequutus: qui quum vbertatem quidem orationis ætate, stylòque facilè depasci posse putent, siccitatem eius puerilibus ingenijs, non minùs quàm teneris plantis solis sterilitatem, noxiam esse arbitrantur. Quam etiam ob causam lectissimos verborum, sententiarumq; flosculos vndique decerptos, maximè ex Ciceronis hortulis, transtuli atque inserui in hunc Catechismum, illis tanquam stellis quibusdam orationem notans atque illuminans. Nam vt de tota religione purè & emendatè, ita de quibusdam etiam capitibus copiosè splendidèque putaui dicendum esse: vt permagni res momenti atque ponderis, verborum, sententiarumque floribus

Mat.12.2.3.5.& 19.2.4.& 21.b. 16.d.42.& 22.c. 31.
Ioh.5.f.39.& 7. g.52.
Act.17.c.11.

bus conſperſæ, puerilibus ſenſibus blandiẽtes, & quaſi odorum ſuauitates afflantes, illorum animos illaberentur iucundiùs, facilius perciperentur, ac ſemel memorijs pectoribúſque iuuentutis inſidentes, hærentéſque penitùs, & quaſi infixæ perpetuò retinerentur, atque cuſtodirentur. Non defuturos ergò arbitror, qui lenitatem & æquabilitatem orationis alicubi requirent, & deſiderabunt: vt quibus vnus orationis ſonus, idémque perpetuò ſtylus placebit. Quòd ſi querentur etiam libellũ, dum ea quæ paucis cognoſci poſſent, pluribus ſunt verbis amplificata, iuſtum modum magnitudinemq; exceſſiſſe: cogitent omnia pueris quàm apertiſſimè planiſſimèque eſſe explicanda: qui quum in ſcholis tam multos annos ſedere ſoliti ſint, ferè vt Latinè tantùm loqui diſcerent, id eos conſequi ex pietatis Chriſtianæ libris ne inuideant, quod ex Pœtarum profanis, fictiſque, & interdum impijs, atque impuris fabulis doceri anteà ſolebant. Sed & ipſis breuitatis amatoribus ſtatui morem gerere, eundémque hunc Catechiſmũ edere exiguo libello, quàm poteſt fieri breuiſſimè, ita arctatum, vt arctiùs ferè aſtringi nõ poterit, in quo magna paruis, longa breuibus, lata angustiis, multa paucis permutata reperient: vt quibus hic liber, vt productione lõgior, non placebit, libellus ille, vt contractione breuior, non diſpliceat. Verùm cùm in Catechiſmis ferè omnibus ea Chriſtianæ religionis capita explicentur, quæ Symbolo Apoſtolorum, Decalogo, & Oratione Dominica continentur, nõ eſt in illis, vt ſanè nec eſſe poteſt, vſq; adeò magna in tradẽdi ratione varietas. Quid enim piè & vtiliter de præcipuis noſtræ religionis capitibus excogitari poteſt, quod ab aliquibus, ac ſæpè quidem à multis illorum, qui cadẽ anteà tractarũt, dictũ iam non fuerit? Et qui Decalogũ, Symbolum Apoſtolorum, & Orationem Dominicam interpretãdam ſumpſerit, eundem, quem in ipſis rebus inue-

nerit ordinem, nisi perturbare permiscereq; omnia velit, necessariò sequi oportet. Alij quidem primo loco de Lege, secundo de Fide tractarunt: alij ne similes per omnia viderentur, contrarium in his ordinem, quod sanè pertenue discrimen est, sunt secuuti. Nam de Oratione & Sacramentis post legem atque fidem omnes ferè tractarunt: Alium ergò ordinem instituere, qui non sit iam ab aliquo præoccupatus, nemo certè, nisi omnem omninò ordinem velit inuertere, ullo modo potest. Hæc mihi hoc loco putaui esse commemoranda, quòd existimem non defuturos, qui & eadem me, & eodem etiam ordine multa, quæ sunt ab alijs quibusdam antea perscripta, tradidisse in hoc Catechismo, conquerentur. In quo sanè iniurij æquis omnibus videri possunt, quum quod immutari recte nō queat, non esse mutatū causabuntur. Hunc Catechismum Reuerendiss. patres, viri omni doctrina, & virtute ornatissimi, qui summum dignitatis gradum in Ecclesia Anglicana tenentes, sacris præstis, & rebus præfidetis Ecclesiasticis, vestro iudicio permitto: quem si amplissimi ordinis vestri authoritate cōprobatum, iuuentus nostra in manus sumpserit, summa id Reipub. Christianæ commodo futurum esse, in spem maximam, & quemadmodum confido, certissimam, verissimamq; adducemur.

Vestri studiosissimus, obseruantissimusq;
A. N.

Fortuna vitrea est tu splendet quando cadit

Quid mihi divitiae quid opes quid nobilitates
quid prosunt mundi commoda magna mihi
Quid miser ostento ~~vel~~ mea sceptra quid aurea cacto

Quid gazis inhias quid opes componis avaro
quidve rapis mundi commoda vana tibi
Quid rabiosa foro clamoso iurgia vendis
(improbe) quid lamas fraude doloque putrem
Quid spes ipse (Colon) fertili ponis in agro
quid pastor (vincit) prata colore cupit
Quid dubius vitae totos noctesque diesque
committis ventis navita vela sua
Formosos ~~vultus~~ vultus quid tollis ad astra superbe
quid vulgis fragilis postis mane decus
nec prosunt gazae ~~nec opes~~ nec opes nec nobilitates
nec populi fama sceptra superba valent
in fortuna capax iactat sua tela per hostes
quos dilexit eos ornat adorat amat
Praecipites etenim casus et ubique furentes
confundi parvis commoda magna iubent
texta malis bona sunt multis mala texta bonisque
non aliis semper convenit una dies.
Convenient enim ~~vix~~ annis mensibus unquam
menses, vix hora congruit hora simul

Vum præceptorem discipulis suis alterum patrem, parentemq; , non corporum, sed animorũ esse oporteat: ad officij mei rationem pertinere video, charissime fili, non tam literis te atque moribus liberaliter instituere, quàm mentem tuam animumq; tenerum bonis opinionibus & vera religione imbuere. * Puerilis enim ista ætas non minùs preceptis sanctis ad pietatem, imò multò etiam magis, quàm ingenuis artibus ad humanitatem est informanda. Quamobrem consentaneum putaui, quæstiunculis quibusdam tecum agere, vt certò sciam, num rectè an secùs in ea re studium operamq; posueris.

Praeceptoris officium.

Pietas puerilis

*Gene.18.c.19. Deut.4.b.9. 10.& 31.b.12. 13. Psal.78.a.3.4. &c. Mat.19.b.13. 2.Tim.3.d.15.

AVDITOR. Et ego, præceptor venerande, quantum ea, quæ me ex sacris literis edocuisti, animo percipere, & memoria custodire potui, quantumq; audita reminiſci & recordari in præsenti possum, quæsitis à te libenter respondebo.

MAGISTER. Agè igitur, dic mihi, mi fili, quænam ea sit religio quam profiteris.

A. Eam præceptor venerande religionem profiteor, cuius author magistérq; est CHRISTVS Do-

Christiana Religio.

minus,

minus, quæq; ob eam ipsam causam proprio & vero nomine, CHRISTIANA appellata est: vt & qui eam profitẽtur,† CHRISTIANI nuncupati sunt.

Nomen ab authore.
†Act.11.d.26.

M. Agnoscis igitur te Christianæ pietatis & religionis cultorem, ac CHRISTI Domini nostri atque præceptoris discipulum?

A. Id equidem agnosco, atque * ingenuè & liberè profiteor: quin & vniuersæ * fœlicitatis meæ summam in eo pono, tãquam in summo hominis bono, vt sine quo conditio nostra, quàm quorumuis brutorum multò esset infœlicior futura.

*Rom.10. b.9.10. †Psal.1.& 33.c.12. Ioan.3.c.18. c.36.

M. Religionis ergò atque pietatis Christianæ, cuius est grauissimum sanctissimumq; nomen, vim & naturam mihi definitione aliqua breuiter explicari velim.

Definitio.

A. Religio Christiana, est * verus piusq; Dei cultus, & obseruatio præceptorum illius.

*Deut.4.a.1. 2.&.10.b.12. Psal.119.a.4. Mat.4.b.10. Ioan.4.c.24. †Psal.1.a.2. & 78.a.1.& 119.toto. Ioan.5.g.39. 2.Tim.3.d.15.

M. Vnde eam discendam esse putas?

A. Non aliundè profectò, quàm ex cœlesti Dei ipsius * verbo, quod nobis sacris literis descriptum tradidit.

M, Quænam sunt ea scripta, quæ verbum Dei, & Sacras literas nuncupas?

A. Non alia, quàm quæ per * Mosen & prophetas sanctos, Dei optimi maximi amicos, Diuini spiritus instinctu, in Veteri testamento primùm, deinde clariùs in Nouo testamento, per † Dominum nostrum Iesum Christum Dei filium, atque sanctos eius * Apostolos numine Dei afflatos di-

*Exod.32. d.15.16. Deut.4.a.1. Psal.103.a.7. Luc.16.g.29. 31.& 24.c. 27.d.44. 2.Pet.1.d.20. †Ioan.1.a.5. 9.& 8.b.12. Heb.1.a.1.2. *Mat.28.d.20. Ioan.20.f.22. Act.2.a.4. Eph.3.a.5.

uulgata

uulgata sunt, & ad nostram vsque ætatem integra † conseruata atque illæsa. †Esa.40.b.8. Mat.5.c.18. Luc.16.d.17.

M. Cur verbum suum Deus ita nobis Scripturis manifestare voluit?

A. Quoniam Dei optimi maximi voluntatem, in cuius * cognitione atque erga eum obedientia vera pietas sita est, ipsi ex nobis, quæ cordium nostrorum sunt † tenebræ, intelligere non possumus: misertus nostri Deus eam nobis * patefecit, atque illustrauit, illustratamq; in vtriusque † testamenti volumine, quæ Sacræ * Scripturæ dicuntur, reliquit: ne † incerti huc illuc ferremur, sed per cœlestem eius doctrinam veluti aditus quidam nobis in cœlum daretur. *Mat.7.c.21. & 12.d.50. Heb.10.g.36. 1.Ioa.2.c.17. †Ioan.1.a.5. 1.Cor.1.c.21. Ephe.4.c.17. 18. *Sapien.9. d.16.17. Act.26.d.18. 1.Pet.2.b.9. †Gal.4.c.24. Heb.8.b.6. & 9.d.15.

M. Cur Dei verbum Testamenti appellatione nuncupas? *Mat.26.f.56. 2.Ti.3.d.16. †Mat.22.c.29. Marc.12.c.24.

A. Quia in Religione suscipienda, caput esse constat, intelligere quæ sit * voluntas Dei immortalis, testamenti verò nomine non voluntas solùm, sed & † suprema etiam, atque immutabilis voluntas significatur: monemur ne aliud in * religione sequamur aut queramus amplius, quàm à Deo ibi docemur: sed vt vnus est verus Deus, ita vnus sit vnius Dei pius cultus puraq; religio. Alioqui nouas nobis quotidiè † commētitias religiones fingeremus, & sua cuiq; genti, sua cuiq; ciuitati, sua cuiq; homini esset religio. Imò non religionem & veram pietatem, virtutum omnium initium atque fundamentum, sed superstitionem mendacem pietatis vmbram, ducem ad res gerendas haberemus: id quod *Mat.7.c.21. & 12.d.50. †Galat.3.c. 15.17. *Deut.4.a.2. 5.d.32.& 28. b.14. †Mat.15.a.3. 4.5.6.9.

Deut.12.c. 31.32.& 13. 2.3.4. Rom.1.c.23. ex priſcarum * gentium in rebus alioqui humanis ſapientium varijs innumeriſq; non religionibus, ſed ſuperſtitionibus pluſquam anilibus ipſa eſt luce clarius.

M. Omnia ergò ad pietatem ſalutemq; neceſſaria in verbo dei ſcripto contineri affirmas?

* Deut.13.a. 4.c.18. Pſal.12.b.6.& 18.d.29.& 19.b.6.&c. Ioan.4.d.25. 1.Cor.1.c.19. & 2.b.6. Galat.1.2.8.9. Coloſ.1.d.25. † Deut.4.a.2. & 40. Pro.30.a.6. Eſa.30.d.21. *A.* * Certè: eſſet enim intolerabilis impietatis atq; dementiæ exiſtimare, vel Deum imperfectam doctrinam reliquiſſe: vel homines, quod ille non perfecerit, abſoluere potuiſſe. Itaque Dominus ſeueriſſimè interdixit, † ne verbo ſuo quicquam adderent vel ſubtraherent: néue ab eo ad dextram vel ſiniſtram deflecterent.

M. Si hoc verum ſit quod aſſeris, quorſum tam multa in Concilijs & conuentibus Eccleſiaſticis ſæpiùs decernuntur, & à doctis hominibus in concionibus docentur, vel ſcriptis traduntur?

* Deut.32.a.4. 19.a.6.7.&c. Pſa.119.toto. 2 Timoth.3. d.15.16.17. *A.* Hæc omnia, vel ad obſcuros verbi Dei locos interpretandos, & ad emergentes controuerſias tollendas: vel ad externam Eccleſiæ gubernationem conſtituendam pertinent, non vt noua de religione dogmata prodantur. * Omnia enim ad ſalutem neceſſaria: quomodo videlicet pietas, ſanctitas, religio purè & caſtè Dei numini tribuendæ ſint: quæ præſtandi ſit Deo obedientia, ad quam ſolam piæ vitæ ratio inſtituenda eſt: quæ collocanda in Deo fiducia: quomodo item inuocandus ſit Deus, illiq; accepta referenda bona omnia: quæ in myſterijs Diuinis peragendis obſeruanda ratio: huiuſmodi inquam, ex verbo Dei diſcenda

ſunt,

sunt, sine cuius cognitione ista vel ignorantur prorsus, vel absurdissimè fiunt, ita vt infecta esse præstiterit. Sicut & Dominus ipse alicubi testatur, † Scripturarum ignorantiam, errorum omnium esse matrem: ipseq; etiam docens, verbum Dei * scriptum ferè allegat, & nos ad discendum ex illo relegat. Ob hanc igitur causam, & antiquitùs in templis verbum † Dei publicè legebatur, adhibitis etiam, si quando illorum copia erat, interpretibus, sicuti ex sacris historijs liquet: & Dominus ipse in cœlum mox ascensurus, Apostolis, quos selegerat, in mandatis præcipuè dedit, * vt vniuersos orbis terrarum mortales verbo suo instituerent: & eius exemplum insequutus Paulus, † in Ecclesiis constituendos esse decreuit, qui populum docerent: quòd intelligeret, fidem, & quæ ad pietatem pertinent omnia, ex lectione * & auditione verbi Dei pendere. Itaq; † Apostolos, doctores, prophetas, & interpretes, in Ecclesia Dei maximè esse necessarios.

† Mat.22.c.22. Ioan.20 b.9. Act.13.d.27.
*Math.19.a. 4.& 21.b.13. Marc.7.a.6. Luc.10.c.26. Ioan.5.g.39.
†Act.13.c.15. d.27.& 15.d. 21.
*Mat.28.d.20. Mar.16.c.15. Ioh.21.c.15.
†Act.14.d.23.
*Rom.10. c.14.d.17.
† 1.Cor.12. d.28. Ephe.4.c.11 12.

M. Hos ergò doctores atque interpretes audiendos esse censes?

A. Non minùs quàm ipsum Dominum si præsens adesset, quoad ea tantùm tradant, quæ à Domino acceperunt. Quod & ipse testatur dicens: * Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. Imò & his verbis sui Præconibus † ligandi atq; soluendi potestatem dedit, vt quorum peccata in terris illi per Dei verbum condonarint, vel detinuerint, ea vel condonata, vel detenta essent in cœlo.

*Mat.10.c.20. d.40.& 19.d. 19.20.
Luc.10.c.16. Ioh.13.c.20.
†Math.16.c. 19.& 18.c.18. Ioh.20.c.22.

M. An istos satis est semel de religione differen-

tes audiuisse?

*Mat.10.c.22. & 24.b.13. Luc.9.g.62. Rom.11.c.22. 1.Cor.9.d.24. 2.Tim.3.d.14. †Iudic.3.a.7. Psal.106.a.7. b.14. Hierem.2.g.32. Luc.24.d.25. *Act.13.c.15. d.25.& 15.d. 21.

A. *Christi nos discipulos vsq; ad finem, vel potiùs sine fine esse oportet. Parum est ergò incœpisse, nisi perseueres. Et quæ nostra est † tarditas atque obliuio, sæpè docendi, atq; admonendi sumus, extimulãdi sępè, & quasi auribus vellicãdi. Semel enim, aut rarò audita, facile excidere solent. Et eam ob causam (vt antè dictum est) * singulis Sabbatis (sicut ex historijs sacris apparet) confluente simul multitudine, legebatur publicè verbum Dei, & eius interpretes, si qui adessent, audiebantur. Quæ consuetudo, & in nostris hodie Ecclesijs ex Apostolica adeoq; diuina ordinatione est recepta.

M. An ergò verbum Dei peregrina lingua, & populo ignota legendum esse censes?

†Deu.4.b.10. Deut.31.c.11. 12.13. Iosue.8.g.35. 2.Paral.34. g.30.

A. Id verò esset Deum pariter, atque eius populum crassè irridere, atque vtroq; impudenter abuti. Nam cùm Deus verbum suum omni ætati † atque sexui clarè legi mandet, vt omnes videlicet intelligant, & discant timere Dominum Deum suum, sicuti ipse in verbo suo disertè testatur: ridiculum cùm primis esset, verbum Dei ad eius populum docendum, ab ipso Deo destinatum, populo lingua ipsi incognita, vnde nihil discere possint, prælegere. Sed & diuus Paulus de eà re clarè disserit: * itaq; concludit, indoctum populum non posse respondere AMEN, ad eam gratiarum actionem, quam non intelligat: sed legentem, audientesq; mutuò sibi † barbaros futuros, si quid in cœtu sit dictum, quod non ab his qui intersunt, percipiatur: * seq; adeò

* 1.Cor.14. d.16.

† 1.Cor.14. c.11. *d.19.

malle

malle in Ecclesia Dei quinq; verba intellecta loqui, quàm decem millia non intellecta.

M. Satísne ergò munere nostro defuncti erimus, si operam dederimus, vt audiamus, intelligamusq; verbum Dei?

A. Minimè: verbum siquidem Dei non audire modò & intelligere, sed † firma animi assensione, vt veritatem Dei de cœlo delapsam, amplecti, & ex animo amare, * dociles item nos eidem præbere, mentesq; nostras in eius obsequium formare oportet: vt cordibus semel infixum, altas illic radices agat fructumq; piæ vitæ, ad eius regulam institutæ proferat: vt ita in salutem nobis, sicuti destinatum est, cedat. † Constat ergò omni studio enitendum esse, vt in eo legendo, audiendo, meditando, tum priuatim, tum publicè proficiamus: proficere autem nullo modo possumus, si ignota nobis lingua proponatur.

†Psal.1.a.2.& 19.b.8..9.10. Mar.16.d.16. Ioan.20.g.27. 29.31. Act.13.g.48. *Deu.31.c.12. 2.Paral.34. g.31. Luc.11.d.28. Ioan.5.d.24. Iacob.1.d.21. 22.23. †Deut.17. d.19. Ios.1.b.8. Psal.118.2

M. Verùm an legẽdo tantùm Dei verbum, illudq;, & eius doctores sedulò audiendo, ad eam, quam dicis, perfectionem perueniemus?

A. Quia Dei sapientia est, frustra in ea, vel docẽda, vel discenda, homines operam ponerent, nisi * Deus magisterio spiritus sui corda nostra instituere dignaretur: sicuti Paulus docet, † frustra vel plantari, vel irrigari, nisi Deus incrementum dederit. Itaq; vt sapientiam Dei, in eius verbo abscõditam, intelligamus, * ardenti precatione à Deo petendum est, vt spiritu suo mentes nostras, tenebris † plusq; Cimmerijs offusas, illustret, hunc enim cœlitùs demissum

*Deu.29.a.4. Luc.24.c.25. 27.g.45.46. Act.16.c.14. 2.Cor.4.b.6. †1.Cor.3.b.7. *Psal.86.c.11. & 119.c.33. 34.35. †Mar.6.g.52. Iohan.1.a.5. 1.Cor.2.d.14.

†Ioan.16. b.13. missum †Doctorem in omnem nos veritatem perducturum Dominus antè promisit.

M. Vniuersum illud Dei verbum in quas præcipuè partes distribuis?

Partitio Verbi Dei.

A. In Legem, & Euangelium.

M. Hæc duo quomodo distinguuntur?

*Mat.22.d.36. Mar.12.c.30. 1 Ioh.3.d.23. †Le.26.toto. Deut.5.d.32. & 28.toto. Ioh.14.b.15. c.21.23. *Mar.1.b.15. & 16.d.16. Luc.5.f.32. & 24.g.47. Ioan 1.b:17. Act.2.f.38. Ro.1.b.16. Gal.3.b.13.

A. Lex, officia tum pietatis erga Deum, id est, verum Dei cultum, tum *charitatis erga proximum, describit: exactamq; nostram † obedientiam seuerè requirit, atq; exigit, & obsequentibus vitam æternam pollicetur: minùs verò obsequentibus minas proponit, & pœnas, adeoq; mortem perpetuam denuntiat. Euangelium * Dei promissiones continet, & violatoribus Legis, modó eos admissi pœniteat, propitium fore Deum, per fidem in Christum, pollicetur.

†Rerum discendarum summa.

M. †Verbum ergò Dei, voluntatem nos eius docere, & omnia ad salutem necessaria continere, in eóque meditandum esse diligenter, eiusq; Doctores atque interpretes sedulò audiendos, super omnia verò doctorem nobis cœlitùs precatione esse impetrãdum, quid item sit illud, & ex quibus constet partibus, hactenus à te est explicatum.

A. Ita est.

M. Quoniam igitur ex verbo Dei, tanquam ex fonte quodam dimanat religio Christiana, vt anteà verbum Dei, ita nunc & religionem ipsam, quæ ex verbo Dei haurienda est, mihi in suas partes, & veluti membra, distribue: vt, quò referenda sint singula, & ad certas quasi metas dirigenda, liquidò

statuamus,

statuamus.

A. Vt verbi Dei, ita & religionis duæ præcipuæ sunt partes: * Obedientia, quam Lex, perfecta iustitiæ regula, exigit: & fides, † quam Euangelium, quod promissiones de Dei misericordia complectitur, postulat.

Religionis partitio.

* Leuit.26.a.3.b. 14. Deut.11.d.26. Ion.14.b 15.c 21,23.24. *Mar.1 b 15.& 15.d.15.16. Rom.1.a.5.b.16. & 3.c.22.& 4.tot.

M. Videntur tamen aut plures, aut non eædem esse religionis partes: alijs enim interdum nominibus in partiendo vtuntur Sacræ literæ.

A. Verum id quidem est: nam alicubi in fidem * & charitatem, alicubi in † pœnitentiam & fidem, religionem totam partiuntur: pro Obedientia enim aliquando ‡ charitatem, quæ per legem in Deum atque homines perfecta requiritur: aliquando verò, quia neq; obedientiam, † neq; charitatem, quam debemus, præstamus: * pœnitentiam, peccatoribus ad Dei misericordiam consequendam maximè necessariam, substituunt. Quibusdam, qui plures partes volunt: prima est, † Cognitio debiti officij ex Lege, & damnatio per Legem ob desertum, repudiatumq; officium: secunda, * Cognitio fiduciaq; liberationis ex Euangelio; tertia, † Precatio imploratioq; Diuinæ clementiæ atq; auxilij: quarta, * Gratiarum actio pro liberatione cæterisq; beneficijs Diuinis. Sed vtcunq; nominibus varient, res eædem sunt, & ad duas illas præcipuas partes, Obedientiam & Fidem, in quibus omnis religionis nostræ vis & natura continetur, cætera omnia referuntur. Quum enim inuocationem & gratiarum actionem, & istis con-

*Gal.5.a 6. 1.Iohn.3.d.23. †Mar.1.b 15. ‡Mat.22.d 37.39 Mar.12.c.30.31. 33. †Psal.14.a.2. Rom.3.b.9. *Mat.4.c.17. Mar.1.b.15. Act.2.f.38. †Rom.3.c.20.& 7.b.7.

*Rom.3.c 21. Galat.2.c 16. †Psal.32.a 5.6. Rom.10.c 12. *2.Cor.1.c 11.& 2.d.14. Ephe.5.a 4.c 20. Phil.4.a 6. Col.3.c 17.

iunctissima mysteria Diuina, quæ Sacramenta dicuntur, pleriq; vt partes adiungant, hæc quidem prioribus illis duabus continentur. Nemo enim vel fiduciæ vel obedientiæ officio erga Deum defungi rectè potest, qui non premente eum aliqua necessitate, ad ipsum confugere, & omnia illi bona accepta referre, cumq; vsus & tẽpus postulat, mysterijs eius sacris ritè vti velit.

M. Assentior quidem tibi, quòd omnia ad has duas partes referri possint, si quis accuratiùs ista, & paulò subtiliùs pertractare cupiat. Verùm quoniam accuratissima partiendi ratio à pueris non est exigenda, malim vt in plures partes, pingui quadam Minerua, religionem distribuas, quò dilucidior res tota sit. Crassiùs ergò modo apertiùs ista tractemus.

A. Quando ita visum est, pingui (vt dicis) Minerua mecum agere, possem non incommodè, ex duabus, quatuor partes efficere, religionemq; totam in Obedientiam, fidem, inuocationem, & sacramenta distribuere.

M. Agè ergò, quum nostram hanc religionis tractationem, quàm explicatissimam esse cupiam, huic ordini insistam: vt primò loco de Obediẽtia, quam Lex requirit: secundo, de fide, quæ Euãgelij promissiones respicit & amplictitur: tertio, de inuocatione, & gratiarum actione, quæ sunt cõiunctissimæ: quarto & vltimo loco, de Sacramentis mysterijsq; Diuinis percontemur.

Religionis partes quatuor.

A. Et ego, præceptor venerande, sicut ex te audiui,

diui, & ſtudioſè, vt eſt puerorum captus atq; memoriola, didici, interroganti tibi libenter reſpondebo.

Prima pars de Lege & Obedientia.

M. Quum ergò * Obedientia noſtra, de qua primùm nobis dicendum eſt, ad normam legis Diuinæ ſit reuocanda, neceſſe eſt vt legis vim atq; naturam vniuerſam priùs excutiamus: qua cognita, & explorata, quæ, & qualis noſtra debeat eſſe obediẽtia, ignorari non poteſt. De lege itaq; quid ſentias, dicere ordire.

Leui.26.a.5. b.14. Deut.10.b.12. & 28.toto. Pſal.119.a.4. Luc.10.c.25. Ioan.14.b.15. c.21.23.24. Iacob.2.b.10.

A. Legem Dei iuſtitiæ, quæ ab homine exigitur, ‡ perfectam & omnibus numeris abſolutam regulam eſſe ſentio, quæ * iubet ea quæ faciẽda ſunt, prohibetq; contraria. In hac lege Deus omnia ad volũtatem † & arbitrium ſuum reuocauit, vt nulla ipſi neq; erga ſe, neq; erga homines pietas probari poſſit, niſi ea ſola, quæ ad huius regulæ amuſſim per omnia quadret. Fruſtrà ergò mortales ſuo ſibi ‡ arbitratu, pietatis rationes confingunt. Legem enim ſuam Deus, vt certiſſimam, tum cultus Diuini, * tum officiorum erga homines regulam, duabus † deſcriptam tabulis nobis propoſuit: ſimulq; * Obedientia noſtra nihil, quod quidem in terris fiat, ſibi gratius acceptiúſue eſſe demonſtrauit.

‡Deu.4.a.2. & 5.c.32.& 32.a.4. Pſal.19.b.c.7. *Exo.20.toto Deut.5. Eſa.30.c.21. †Deut.6.c.17. 18.& 13.d.18 Rom.12.a.2. Eph.5.c.17.& 6.b.7. Coloſ.1.c.9. ‡1.Re.15.c.22. Eſa.29.c.13. Mat.15.a.3.9. *Mæth.22. d.36.40. 1.Ioã.3.d.23. †Exo.31.d.18. & 34.d.28.29. Deut.4.d.13.

M. Prior tabula quo eſt argumento?

A. * Quæ ad pietatem in Deum noſtram pertinẽt tractat, & prima quatuor legis præcepta cõplectitur.

*Deu.5.d.23. & 10.c.12.& 11.d.26. Math.19.c.16. 1.Ioh.3.d.24.

M. Secunda verò?

†Deut.6.b.5. Mat.22.d.36.

*Mat.22.d 39. Rom.13.c 8.9. Gal.5.c 14. †Exod.34.d 28. Deut.4.b.13.

A. Charitatis siue amoris * mutui inter homines, officia declarat, & sex reliqua præcepta continet. Ita in summa † decem omnino præceptis tota Lex absoluitur: cuius rei gratia, Decalogi nomen Legi inditum est.

M. Recita mihi, primæ tabulæ primũ præceptum.

*Exo.20.a 1.2.3. Deut.5.a 6.7. Psal.81.b 8.9. Mich.6.a 4.

A. Deus ad hunc modum effatus est: * AVDI ISRAEL: EGO SVM DOMINVS DEVS TVVS, QVI TE EDVXI EX DOMICILIO SERVITVTIS ÆGYPTIÆ. NON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM ME.

M. Cur de se, atq; beneficio suo, quædam primùm Deus commemorat?

Leuiti.26.a.toto. Deut.6.b.6.

A. In primis illi curæ fuit, ne legum à se latarum † existimatio mox per contemptum imminueretur: ideoq; quò maior authoritas accederet, isto veluti exordio vtitur: Ego sum Dominus Deus tuus: quibus verbis * conditorem se, Dominum ac seruatorem nostrum, omnisq; boni authorem esse docet: iubendiq; authoritatem iure optimo, ex legislatoris dignitate sibi vendicat: & legi suæ ex bonitate gratiam conciliat: atq; ex vtroq; pariter necessitatem nobis obsequendi summam imponit, nisi & in potentissimum † rebelles, & in optimum ingrati esse velimus.

Deut.10.c.12. Psalm. 135.a.3. & 136.a.1. Esa.8.c.13.& 43.a.1. Malac.2.b.10. 1.Tim.6.c.14 15. 16. †Malac.1. b. 5.6.

M. At cùm Israëlem nominatim appellet, ac de rupto seruitutis Ægyptiæ iugo diserte mentionem faciat, an non ad populum Israëliticum propriè pertinet?

Exod.12.& 14

A. Israëlitas quidem corporali † seruitute, per seruum

uum suum Mosen exemit Deus: at suos omnes ex-
spirituali peccati * seruitute & diaboli tyrannide, Ioan.8.d.34.36.
qua alioqui pressi oppressiq; iacuerant, per filium Rom.6.d.20.
suum Iesum Christum asseruit. Hoc liberationis Collo.1.b.13.
genus ad omnes † peræquè homines pertinet, qui Hebr.2.d.14.15
in Deo liberatore fiduciam omnem collocant, il- Acto.10.f.38.
liusq; legibus * pro virili parent: Quod ni faci- † Rom.3.c.22.
ant, summæ eos ingratitudinis † reos fore, hac be- * Ioā.8.f.5.11
neficij summi commemoratione denūciat. Cogitet 1.Ioan.3.d.21.
enim quisq; * Satanam, infernum illum Pharao- †Psal.78.b.13.
nem suo capiti imminentem: † peccatum item fœ- 14.& 103.a.1.
diissimum esse lutum illud in quo turpissimè volu- Iere.2.b.6.
tur: & gehennam, * Ægyptiam seruitutem teterri- *Luc.13.d.16.
mam, sibi ob animi oculos proponat: & libertatem 2 Tim.2.d.26.
hāc quam dixi, vnicè sibi † expetendam esse, vt quę 1 Pet.5.b.8.
sua maximè interest, facilè intelliget: qua tamen indi- †Psal.40.a.2.
gnissimus erit, ni libertatis * authorem, omni obse- Esai.59.a.3.
quio atq; obedientia colat. 2 Pet.2.d.20.22.
Apoc.16.c.15.
*Mat.13.f.40.
Luc.16.c 23.
2 Pet.2.a.4.
†Mat.16.d 26.
Act.26.d 18.
Rom.16.c.20.
* Esa.17.c.10.
Ioan.14.b.15.
Rom.6.c.13.
1.Cor.6.d.19.

M. Perge.

A. Confirmata iam legis suæ authoritate, sequi-
tur ipsum præceptum: NON HABEBIS DEOS
ALIENOS CORAM ME.

M. Hoc quid sibi velit, dicito.

A. Idololatriam † quam penitus odit Deus, vetat † Leuit.26.a.1.
atq; prohibet. c.13.
Deut.12.a.3.

M. Idololatria, aut Deos alienos habere, quid est? Iud.10.b.6.c.16

A. Est in locum vnius * veri Dei, qui se palàm * Deut.6.a.4.5.
nobis, manifestoq; in sacris literis ostendit atque Mar.12.c.29.32
patefecit, alias vel personas vel res constituere, & † Esa.44.c.17
vt Deos † quosdam nobis fingere & comminisci, Dani.3.a.5.7.
b.12.15.

quas vt Deos colamus, & in quibus ſpem noſtram ponamus atq; collocemus. Iubet enim vt *vnum ſe tantùm Deum agnoſcamus: id eſt, vt quæ ad eius maieſtatem ſpectant vniuerſa, † quæq; ſoli illi debemus, eorum ne vel minimam quidem partem transferamus aliò: ſed ſuum illi honorem cultumq; ſoli atq; in ſolidum exhibeamus: cuius quicquam ad alterum deferre ſummum eſſet nefas.

Deut. 4.f.35. 39.& 6.b.4.5. Mar.12.c.29. 32. †Deut.10.d.20. Luc.4.b.8. Act.10.d.25 26. Apo.19.b.10.

M. Quæ ſunt illa, quę Deo peculiariter debemus, in quibus cultum illi proprium & peculiarem ſitum eſſe dicis?

A. Deo quidē innumera debemus, verùm vniuerſa ad quatuor capita non ineptè referri poſſunt.

Deut. 10.c. 12. 1.Par.16.c.28 Pſal.29.a.2.&c. & 96.a.6.7 †Mat.22.d.37. 1. Ioan.4.d.17. & 5.b.10 *Pſal.50.c.16. Mat.6.b.9. †Pſal.34.66. 155.& toto libro Pſalme.

M. Quæ ſunt ea?

A. Vt ipſius maieſtati ↓ ſummam venerationē, ſummum eius † bonitati amorem atque fiduciam præſtemus, ad illum confugiamus, * & ipſius imploremus opē, illiq; nos & ↓ noſtra omnia accepta referamus. Hęc vt nulli alij, ita illi ſoli exhibenda ſunt omnia: ſi illum ſolum Deum † noſtrum habere, illiuſq; populus peculiaris eſſe volumus.

†Leu.26.b.12. Deut.7.a.6. Pſal.95.b.6.7. & 33.c.12. Tit.2.d.14. Heb.8.d.10.

M. Vltima illa verba, coram me, quid ſignificāt?

A. Non poſſe nos vel ſemel ad defectionem ſpectare, niſi Deum * teſtem habeamus: nihil enim tam abditum atq; reconditum eſſe, vt eum latere poſſit. Præterea non apertæ ſolùm † confeſſionis honorem, ſed & cordis intimam ac ſynceram pietatem requirere ſeſe Deus indicat: vt qui occultarū ſit cogitationum cognitor atq; iudex.

*Pſal.33.c.14. Eſa.29.c.15. Iere.17.b.9.10. Hebr.4.d.13.

†Eſa.1.d.16. & 29.d.13.e.15. Mat.5.a.8.& 15.a.8.b.18.

M.

M. Satis ergò dictum eſto de primo præcepto: iam ad ſecundum pergamus.

A. *SIGNVM SCVLPTILE, AVT SIMVLACHRVM VLLIVS REI, QVÆ AVT SVPRA IN COELO, AVT INFRA IN TERRA, AVT IN AQVIS INFRA TERRAM SIT, NON EFFINGES: EA NEC VENERABERIS NEQVE COLES. NAM EGO SVM DOMINVS DEVS TVVS, †ZELOTYPVS, QVI PARENTVM INIQVITATEM ETIAM IN LIBERIS VINDICO, AD TERTIAM VSQVE QVARTA'MQVE PROGENIEM OSORVM MEI: CLEMENTIA'QVE VTOR AD MILLESIMAM VSQVE PROGENIEM, ERGA MEI AMANTES, MEA'QVE PRÆCEPTA CONSERVANTES. Exo.20.a.4. Leuit.26.a.1. Deut.4.c.15.& 5.a.8.9.10. & 27.b.15. Pſal.97.b.7. Eſa.42.b.8.c. *id eſt, impatiēs ſocij.* †Exo.34.a.7.b. 14. Deu.7.b.9.

M. Horum verborum quis eſt ſenſus?

A. Sicuti primo precepto ſolum ſe coli adorariq; iubet, ita iſto ab omni ſuperſtitione vitioſiſq; & corporeis figmentis auocat, quandoquidem ipſius cultus *ſpiritualis, puruſq; eſſe debet: maximè verò ab externæ † idololatrię craſſiſſimo vitio nos deterret. *Eſa.1.d.18. Ioan.4.c.23.24. †Pſal.78.f.64. Eſa.42.b.8.c. 17.&44.b.9. Ierem.10.c.14.

M. Pingendi itaq; fingendiq; artes in totum damnat hæc lex, vt videtur, ita vt nullas omnino imagines fieri liceat. *Leuit.26.a.1. Deut.4.c.15. Eſa.40.d.18. &.12.46.b.5.6. Pſal.78.f.64. Act.17.c.29. †Deu.5.a.8.9. Pſal.97.c.7.& 106.c.34. Eſa.44.c.17. 19.

A. *Minimè: nam prima legis tabula non de artificijs humanis, ſed de rebus ad Diuinum cultum pertinentibus agit: primùm ergò ne Dei exprimēdi, vel adorādi cauſa, imagines vllas formemus, vetat: Deinde ne imagines † ipſas adoremus edicit. *Pſal.115.a.3.4. Eſ.40.c.10.&c Ioan.4.c. 24. Rom.1.c.20.23.

M. Cur Deum non licet corporea & aſpectabili figura exprimere?

A. Quia inter Deum, qui *ſpiritus eſt, æternus, immenſus,

immensus, infinitus, incomprehensibilis, & ab omni concretione mortali segregatus, & inter caducam & corpoream, exilem & inanimem, inanemq; † figuram, nihil potest esse simile aut commune. Itaque per summam iniuriam Dei optimi maximi maiestatem minuunt, quum eam in hunc modum repræsentare conantur.

Esa.1.c.18.19. Es.40.d.18.19. & 46.b.5.6. Iere.10.c.14. Act.17.f.29.

M. Non ergò rectè dixerunt hij, qui imagines esse idiotarum libros contendunt?

A. Quales libri sint nescio: de Deo certè nihil nisi errores docere possunt.

M. Quænam est illa adorationis forma, quæ hic damnatur?

A. Quum precaturi, * ad statuas aut imagines conuertimur, coram illis prosternimur, genibus inflexis, aperto capite, aut alijs signis honorem illis exhibentes, ac si Deus nobis illis repræsentaretur. In summa, in imaginibus, ne vel Deum quæramus vel colamus: vel quod idem est, ne imagines ipsas in Dei honorem veneremur, aut illis quoquo modo, ad maiestatis suæ iniuriam, per idololatriam, aut superstitionem abutamur, hac lege prohibemur. Alioqui verò † statuariæ picturæq; vsus legitimus, minimè interdicitur.

Psal.97.c.7. & 106.c.34. Esa.44.c.17. 19. Dani.3.4.5.7. Osee.11.a.2. Mich.5.d.12. Act.7.c.14.

3 Reg.7.d. 24.25. Ezec.41.c.19. Mat.22.b.20.

M. Ex his quæ mihi commemoras, colligi facilè potest, in templis, * quæ Dei cultui propriè dicantur, statuas aut imagines vllas collocare, valdè periculosum esse.

Deut.7.a.5. & 27.b.15. 2.Par.31.a.1. Esa.10.b.10. 11.& 30.c.22. Ezech.6.a.4. Mat.21.b.13.

A. Id verum esse, totius penè religionis interitu, iā nimium profectò experti sumus.

M.

M. At adhuc supereſt huius legis quaſi appendix quædam.

A. Nam ego, inquit, ſum Dominus Deus tuus, † ſocij impatiens, qui vindico iniquitatem parentum in filijs, vſq; in tertiam, & quartam progeniem eorum qui me oderint. Exod.20.a 5. Deut.5.b 9.& 6. c 15. Pſal.78.f 58. Nah.1.a 2.

M. Quorſum tandem, aut cur iſta dicuntur?

A. Hæc eo pertinent, vt legem hanc, adhibita veluti ſanctione, ſtatuat & confirmet. Nam Dominum ſe, ac Deum noſtrum nominans duplici ratione, † authoritatis videlicet & beneficentiæ, nos ad ſibi per omnia parendum vrget: & * zelotypiæ vocabulo indicat, ſe ſocium aut æqualem ferre non poſſe. *Deut.10.c 12. 3 Reg.18.f 39. 1 Tim.6.c 15. *Exod.34.b 14. Ioſ.24.c 19. Eſai.42.b 8.

M. Quæ ſubeſt huius quam dicis, zelotypiæ ratio?

A. Æquiſſima profectò. Poſtquam enim nobis nihil † promeritis, tantùm pro infinita ſua bonitate ſe donauit, optimo iure nos * totos omninò, atq; in ſolidum vult eſſe ſuos. Hoc enim eſt illud veluti ſancti coniugij † vinculum, quo fideli illi marito Deo, animæ noſtræ, tanquam caſtæ ſponſæ, copulantur. Quarum caſtitas eſt, Deo ſoli dicatas eſſe, & illi penitus adhærere: ſicuti rurſum * adulterio pollui dicuntur animæ noſtræ, cùm à Deo, ad idolatriam aut ſuperſtitionem deflectunt. Quò verò ſponſæ amantior eſt maritus, quóque caſtior ipſe, eo eſt ſponſæ fidem violanti infenſior. †Pſal.44.a 14.5. Eſai.48.b 9. Rom.5.b 8.& 11 d 35. 2 Tim.1.c 9. *Mat.4.b 10.& 22.d 37. †Ier.2.a 2. 2 Cor.11.b 2. Ephe.5.f 24. *Ier.2.d 20.& 3. a 1.&c. Ezech.6.c 9.& 16.b 15.

M. Proſequere.

A. Iam quò impendiò magis odiſſe ſe idololatri-

am ostendat, & grauiore nos formidine à peccando coërceat, non de ijs modò qui ipsi offenderint, sed & de eorum † quoq; liberis ac posteris pœnas se sumpturum minatur.

†Exod.34.a 7. Deut.5.b 9.10.& 7.b 9.10. Esai. 14.c 20.21.

M. Verùm quo tandem modo istuc, Dei iustitiæ est consentaneum, quenquam propter alterius admissum pœnas dare?

A. Ipsa humani generis conditio hanc quæstionem satis explicat. * Naturâ enim exitio obnoxij sumus omnes: in qua nos conditione si Deus relinquat, nihil est quod de eo conqueramur. Et sicut suam erga pios dilectionem & misericordiam, eorum posteritatem † tuendo, fouendoq;, & illis salutem quam non debuit impartiendo, demonstrat: ita suam in impios vindictam, ipsorum * filios hac beneficentia priuando, exequitur: neq; tamen iniuria interim vlla eos afficit, quòd gratiam quam illis † non debuit, non sit impertitus, sed quales inuenit, tales ingenio naturæq; suæ relinquit.

*Esai.1.a 4.&c. Rom.3.b 9.10. Ephe.2.a 3.

†Deut.4.f 37. Psal.37.c 25.& 69.d 42.& 112. a 2. *Esai.14.c 20.& 48.d 18.

†Exod.33.d 19. Rom.9.d 14.& 11.d 35.

M. Perge ad cætera.

A. Ne solis nos minis vrgere videatur, iam sequitur altera pars, qua Deus benignè & liberaliter pollicendo, nos ad obsequium inuitat atque allectat. * Clementia enim se summa vsurum promittit, tum erga omnes qui se diligunt, suisq; mandatis obtemperant, tum erga ipsorum etiam posteros.

*Gen.22.c 17.& 26.a 4. Deut.5.b 10.& 7.b 9.

M. Qua ratione istuc æquum esse tibi videtur?

A. Ratio quidem aliqua est propter piam educationem

cationem, † in qua ſuos liberos pij parentes ſic inſtituunt, vt illis in verò Domini timore & dilectione quaſi hæredes ſuccedere ſoleant. Sed & * natura ipſa nos ad beneuolentiam erga amicorum liberos inuitat: certiſſima tamen ratio eſt, quòd Deus ita promittit, † qui neque à iuſtitia aberrare, neq; fidem fallere poteſt vnquam.

† Gen.18.c 19. Deu.4.b 9.10.& 32.g 46. Pſal.132.c 11. *3 Reg.11.c 12. & 15.a 4. 4 Reg.8.c 19. †Deu.32.a 4. 2 Par.19.b 7. Ierem.2.a 5. Rom.9.d 14.& 4. d 20. 1 Cor.1.b 9. 2 Cor.1.c 18. *2 Reg.3.a 2. 4.Reg.23.f 30.32 Ezec.18.2.9.16.

M. Atqui iſtud conſtans & perpetuum eſſe non apparet: quia pij aliquando parentes * liberos progignunt impios, & à parentum virtute degeneres, in quos Deus non oſtente hac promiſſione, grauiter animaduertit.

A. Hoc quidem negari non poteſt. Nam Deus vt propitium ſe (cùm viſum fuerit) † impiorum liberis exhibit: ita nulla huiuſmodi neceſſitate piorum liberis deuinctus tenetur, * quin ipſi liberum ſit, ex illis quos velit, repudiare. Verùm in eo huiuſmodi moderationem adhibet, vt certa promiſſioni ſuæ fides ſemper conſtet.

† 3 Reg.11.c 12. 13.& 15.a 4. 4 Reg.8.c 19.& 21.d 22.24. *Exod.33.d 19. Ioſ.23.d 14. Rom.3.a 3.&9.d 14. 2 Pet.3.b 9.

M. Quum antè de vindicando loquens, tres, aut quatuor ad ſummum progenies nominet, cur hic in miſericordia mille complectitur?

A. Vt oſtendat ad manſuetudinem † & beneficentiam, quàm ad ſeueritatem, ſe multò eſſe procliuiorem: ſicut & ipſe alibi profitetur, ſe ad iram tardum eſſe, ad ignoſcendum verò propenſiſſimum.

† Exod.34.a 6. Pſa.30,b 5.& 103 b 8.& 145.b 8. Eſa.54.d.7.8.10.

M. Ex his quæ commemoraſti omnibus, videris mihi intelligere, Deum ne ipſius cultus, qui ſpiritualis & puriſſimus eſſe debeat, craſſa vlla ido-

Idolatria aut superstitione pollueretur, magnam adhibuisse cautionem?

*Exod.20.a 4. Deut.4.c 16.& 5. a 8.

A. Maximam profectò. Nam non apertè *solùm & prolixè enumeratis omnibus simulachrorum formis, in prima ferè legis suæ parte, vt rem ad suam maiestatem maximè spectantem edixit: sed & horrendis † minis violatori, maximis rursum obseruatori propositis præmijs hanc legem sanciuit. Ita vt, aut non intellectum fuisse hoc mandatum, vt obscurum: aut non animaduersum, vt in turba delitescens: aut non curatum, vt leue & minimum: sed vt nullum potiùs mandatum, nullis minis, nullis promissionibus adiunctis, neglectum prorsus ab omnibus iacuisse, plusquam stupendum videri possit.

Exod.20.a 5.6. Leui.26.c 30. Deut.4.d 26.& 5.a 9.10.& 20.c 15. Psal.97.b 7. Ezec.6.a 4.

M. Sic est profectò vt dicis: verùm recita mihi iam præceptum tertium.

*Exod.20.b 7. Leuit.19.c 12. Deu.5.b 11.

A. *NOMEN DOMINI DEI TVI INANITER NON VSVRPABIS: NEQVE ENIM SINET IMPVNITVM DOMINVS, QVI EIVS NOMEN INANITER ADHIBVERIT.

M. Quid est inaniter vsurpare nomen Dei?

Leuit.19.c 12. Psal.15.c 6. 1 Tim.1.b 12. *Eccle.23.a 9. Mat.5.c 33. †Deut.28.f 58. Psal.8.a 1. Ierem.10.a 6. *1 Par.29.d 13. Psal.48.c 9.& 113.a 1.&c.

A. Eo vel † peierando, vel temerè, & incogitanter, ac præter * necessitatem iurando, aut vel semel præter grauem causam nominando, abuti. Quum enim sit Diuini † nominis maiestas sacrosancta, omnibus modis cauere debemus, ne aut ipsi contempsisse, aut alijs contemnendi eius occasionem præbuisse videamur: adeoq; nomen Dei, nisi cum summa eius * reuerentia nunquam proferamus,

feramus, vt venerandum & glorioſum cùm nobis ipſis, tum alijs omnibus appareat. De † Deo enim eiusq; operibus, ne cogitare quidem, nedum loqui aliter quàm in eius honorem fas eſt. In ſumma, qui Dei nomine, niſi grauiſſimis de cauſis, & ſanctiſſimis negotijs vtitur, eo abutitur.

†Sap.1.a 1.& 14. d 30. Eccle.22.a 9.& 39.d 33.

M. Quid ergò de ijs qui Deo conuitium faciunt, de Magis item, atq; alijs eius generis hominibus impijs, cenſes?

A. Si qui tantùm ex conſuetudine *praua, & importuna ſolùm quadam facilitate Dei nomine vtantur, ſumma eum iniuria afficiant: multò magis illi, qui in diris † execrationibus, incantationibus, imprecationibus, aut vlla ſuperſtitione alia, Dei nomine abutuntur, atroci atq; nefario ſcelere ſeſe aſtringunt.

Eccl.23.a 9. Mat.5.c 34. †Deut.18.c 11. Eſa.8.d 19.& 47. b 9.& 52.b 5. Mal.3.b 5. Act.19.c 13. Gal.5.d 20.

M. Ecquis ergò eſt diuini nominis vſus in iureiurando legitimus?

A. Sanè: cum iuſta *de cauſa datur iuſiurãdum, vel ad aſſerandam veritatem, maximè ſi id requirat iubeatúe magiſtratus: vel ob aliud magni momenti negotium, quò videlicet ſuum Deo honorem integrum ſeruemus, aut mutuam inter homines concordiam charitatemq; tueamur.

*Exod.22.b 11. Ioſ.2.b 12.& 9.c 15. Pſa.15.c 6.& 63. d 12. 2 Cor.1.d 23.& 11.g 31. Gal.1.d 20.

M. An ergò quoties vera loquimur, adhibere iuramentum licebit?

A. Hoc minimè licere iam antè dictum eſt: ſic enim exiſtimatio, atq; authoritas nominis Diuini imminueretur, vileq; illud & vulgare redderetur.

†Exod.22.b 11. Ioſ.2.b 12. 1 Reg.14.d 21.& 30.d 15. Gal.1.d.20.

Sed cum in † graui negotio veritati fides alioqui non haberetur, eam Sacramento cõfirmare licebit.

M. Quid deinde ſequitur?

A. Neque enim impunitum, inquit, ſinet Dominus, qui nomen eius inaniter adhibuerit.

‡Leuit.26.b 14. Deu.28.b 15.&c. & infinitis locis.

M. Quum in vniuerſum ſe in legis ſuæ violatores animaduerſurum ‡ alibi Deus denuntiet, quid eſt quòd hic nomine ſuo abutentibus peculiariter minatur?

*Leuit.10.c 12. Deut.5.b 11. Ierem.51.f 56 Eze.20.b 8.9.14.

A. Indicare voluit, quanti nominis * ſui gloriam faciat, vt paratam vltionem videntes, maiori ſtudio ab eo profanando caueremus.

M. An diuorum, aut aliorum hominum, rerúmue nomina in iureiurando adhibere fas eſſe putas?

†Exod.22.b 11. Heb.6.c 16.

A. Nequaquam. Cum enim legitimum iuſiurandum nihil ſit aliud, quàm religioſa affirmatio, ſe Deum omnium conſcium cognitorémq; † teſtem citare, atq; adhibere, iuſiurandum ſe verum iurare, eundemq; ſi falſum iurauit, mendacij ſceleriſq; ſui vindicem atq; vltorem inuocare atq; imprecari: hunc diuinæ ſapientiæ atq; maieſtatis honorem, qui ſuus eſt proprius * atq; peculiaris, partiri, & cum alijs vel perſonis vel rebus communicare, ſummum eſſet nefas.

*Deut.6.c 13.& 10.d 20. Ioſ.23.b 7. Eſai. 65.c 16.

M. Supereſt quartum præceptum, primæ tabulæ vltimum.

Exod.16.c 23.& 20.b.8.& 31.c 13. Leuit.23.a 3. Deut.5.b 12. Ezech.20.b 12.

A. DIEM SABBATI † SANCTE AGERE MEMENTO, SEX DIEBVS OPERABERIS, ET FACIES OMNIA OPERA TVA: SEPTIMO VERO

RO DIE, QVOD EST DOMINI DEI TVI SABBATVM, NVLLVM OPVS FACIES: NEC TV, NEC FILIVS TVVS, NEC FILIA TVA, NEC SERVVS TVVS, NEC ANCILLA TVA, NEQVE IVMENTVM TVVM, NEQVE APVD TE DEGENS PEREGRINVS. NAM SEX DIEBVS *PERFECIT DEVS COELVM ET TERRAM, ET MARE, ET QVICQVID IN ILLIS CONTINETVR, SEPTIMO QVIEVIT. ITAQVE DIEM SABBATI SACRVM, SIBIQVE DICATVM ESSE VOLVIT.

*Gene.2.a 1.2.3. Heb.4.b 3.c 10.

M. Sabbati nomen quid significat?

A. Sabbatum si interpreteris, † requiem significat. Eo die, vt qui ad cultū * Dei solummodò sit institutus, profana negotia omnia à pijs longè semouenda sunt, quò religioni, & pietati sedulò vacare queant.

†Exod.16.c.23. Leuit.16.g.31 *Ierem.17.c.21 d.24.27. Ezech.46.a.1 Marc.6.a.2. Luc.23.g.56

M. Cur suum nobis exemplum ad imitandum proposuit Dominus?

A. Quòd clara, atque illustria † exẽpla animos hominum acriùs excitent atque acuant. Nam & Dominum serui, & filij parentem libenter imitãtur: & nihil magis est expetendum, quàm vt homines ad Dei ↓ exemplar & imitationem se forment.

*Tob.2.c 12. Ioa.13.b 13.15. 1 Cor.4.d 16.& 11.a 1. †Heb.4.a 3.4.b 10.& 12.a 2. 1 Pet.2.d 21.

M. Septimo ergò quoq; die ab omni nobis labore abstinendum prorsus esse dicis?

A. Duplex est huius præcepti ratio: quatenus enim cæremoniam complectitur, externam tantùm quietem exigens, ad Iudæos † propriè spectabat, nec perpetuæ, æternæq; legis vim habet: Sed

†1 Cor.10.a 1. Gal.4.a.2.3.4. Col.2.c.16.17. Heb.8.b.5.& 10. a.1.

†2 Cor.3.d 14. Col.2.c 16. Heb.10.a 1.

Christi iam† aduentu, vt cæteræ Iudaicarum cæremoniarum vmbræ abrogatæ sunt, ita & de ista lege ex hac parte est derogatum.

M. Quid ergò præter cæremoniam subesse putas, quo perpetuò astringamur?

*Mar.1.b 21. Act.13.c 14.& 15 d.21. †Exod.21.a 2. Deu.5.b 14. Gal.3.d 26.28. *Esai 58.d 13. Rom.13.d 12. Heb.4.c 9.10.

A. Tres ob causas hæc lex est instituta: vt disciplina * Ecclesiastica, & Reipub. Christianæ status aliquis constituatur, atq; retineatur: vt seruorum † cõditioni, quò tolerabilis ea fiat, prouideatur? & vt spiritualis illius quietis forma * atque figura quædam exprimatur.

M. Quæ est illa quam dicis, Ecclesiastica disciplina?

†Marc.6.a 4. Luc.4.c 16.27. Act.13.d 27.42. †Psal.95.a 2. Mat.10.c 32. *Esai 56.c 7. Mat.21.c 13. *Ephe.3.d 21. Heb.2.c 12. †Psal.22.c 23.& 35.c 21. 1 Cor.11.d 18.& 14.f 26. *Psal.1.a 2.& 84 a 4. Luc.18.a 1. Ephe.5.d 19.20.

A. Vt populus Christianus ad Christi † doctrinam audiendam, ad conficiendam fidei * suę professionem, ad preces † Deo publicè adhibendas, ad diuinorum * operum, atq; beneficiorum memoriam celebrandam atq; retinendam, traditaq; ab eo mysteria † peragenda, in vnum conueniat.

M. An ista septimo quoq; die præstitisse satis erit?

A. Sunt hęc quidem priuatim * cuiq; assiduè recordanda, & cogitanda: nostræ tamen negligentiæ atq; imbecillitatis causa, status dies peculiariter huic negotio publicè destinatur.

M. Iam de seruis subleuandis, quare hoc mandato cautum est?

†Deut.5.b 14. & 15.c 12.15. Iere.34.c 12.

A. Æquum fuit illos, † qui sub aliena potestate sunt, aliquod tempus à labore intermittere: alioquin enim illorum conditio, nimirum dura difficiliśq; toleratu

toleratu futura eſſet. Et ſanè par erat, ſeruos communi noſtro * pariter atq; ipſorum domino, adeóq; patri etiam, quum eos ſibi per Chriſtum æquè adoptarit, vnà nobiſcum aliquando inſeruire: Sed & dominis ipſis præterea vtile eſt, vt ſerui interdum † interquieſcant, quò videlicet ad intermiſſum paululùm laborem, alacriores validioréſque reuertantur. Pſal.134.a.1. Gal.3.d.26.28. Ephe.6.b.9. Coloſ.3.b.11. Deut.5.b.14. Eſai. 28.c.12.

M. Supereſt iam vt de ſpirituali quiete dicas.

A. Ea eſt dum à mundanis negotijs, * proprijsq; operibus atq; ſtudijs feriati, & quaſi ſanctum quoddam otium agentes, nos totos in Dei poteſtatem permittimus, quò ille ſua in nobis opera peragat: & dum carnem noſtram, † vt ſcriptura loquitur, crucifigimus, hoc eſt, appetitus & motus animi prauos frænamus, ingenio noſtro temperantes, vt Dei ſpiritui obtemperemus: ita enim externæ quietis figuram atque imaginem, ad rem veritatemq; optimè reuocabimus atq; traducemus. Eſai. 1.c.14.16.& 58.d.13. Heb.4.c.9. Gal.5.d.24. Colo.3.a.5.

M. An ergò reliquis diebus hanc curam abijcere licebit?

A. Nequaquam: Poſtquam enim ſemel cœperimus, pergendum * eſt per totum vitæ curriculum: & numerus † ſeptenarius, quum perfectionem in Scripturis deſignet, omni ope atq; opera aſſiduè eniti, atque ad eam * contendere oportere nos admonet. Vnà tamen oſtenditur, nos quoad in hoc mundo viuimus, à ſpiritualis huius quietis perfectione atq; abſolutione † longè abeſſe, guſtumq; tantùm quendam hic nobis præberi quietis illius, *Mat.24.b.15. Iac.1.d.24.25. †Gen.2.a.2.3. 4.Reg.5.c.16. Pſal.12.b.6. *Gen.17.a.1. Mat.5.g.48. †1.Cor.2.c.9. Apoc.7.d.15.16 17.& 14.c.13.& 21.b.4.

Esai. 25.c.8. 1.Cor.2.c.9. 2.Thes.1.b.7. Apoc.7.d.15.& 14.c.13.& 21.b.4.

quam in regno Dei sumus perfectè † absolutam, fœliciſſimamq; habituri.

M. Rectè recitatæ iam mihi à te sunt leges primæ tabulæ, qua verus Dei cultus, qui est bonorum omnium fons, summatim comprehenditur. Iam verò quæ sint amoris charitatisq; nostræ erga homines officia, quæ ex isto fonte scaturiunt & deriuantur, quæq; Secunda tabula continentur, mihi dicas velim.

Exod.20.b.12. Deu.5.b.16. Mat.15.a.4. Ephe.6.a.2.3.

A. Secundæ tabulæ initium est, † HONORA PATREM ET MATREM: VT SIS LONGÆVVS SVPER TERRAM, QVAM DATVRVS EST TIBI DOMINVS DEVS TVVS.

M. Honoris nomine hoc loco quid significatur?

Pro.1.a.8. Mar.7.b.10.12. Col.3.c.20. 1.Tim.5.a.4. Heb.12.c.9.

A. Honor parentum, amorem, * timorem, & reuerentiam complectitur: & in obediendo illis, in salute, atq; auxilio ferendo, eos defendendo, atq; etiam si quando rerum inopia laborent, fouendo, vt in proprio suo munere atq; officio versatur.

M. An de ijs tantùm qui natura parentes sunt, lex præcipit?

A. Tametsi verba ipsa aliud sonare non videntur, intelligendi tamen sunt omnes, quibus aliqua attributa est authoritas: vt † magistratus, ecclesiæ * ministri, † præceptores: deniq; ornamento aliquo vel honoratæ * ætatis, vel ingenij sapientiæq;, vel doctrinæ, vel gloriæ, vel fortunæ præditi, vel cæteris rebus superiores, parentum nomine continentur: quando ex eodem fonte ipsorum pariter

Deu.17.c.10. Rom.13.a.1. *Luc.10.c.16. 1.Tim.5.a.1. †Pro.5.c.13. Ioh.8.d.31. *Leuit.19.f.32. Pro.19.d.30.

atq;

atque parentum authoritas deriuatur.

M. Quonam?

A. Ex sacro sancta legum * diuinarum sanctione, qua illi æquè ac parentes dignitate atque honore afficiuntur, & decorantur. Inde enim omnes vel parentes, vel principes, vel magistratus, vel alij superiores, quicunq; tandem sint, vim suam atque authoritatem omnem habent, atque obtinent: quod per hos Deo mundum hunc regere atque administrare visum fuerit. Deu.17.c.10. Tit.3.a.1. 1.Pet.2.d.18.

M. Hoc quale tandem est, quòd parentum nomine magistratus, cæterosq; superiores appellat?

A. Vt intelligamus eos à Deo nobis, nostro † publicoq; bono datos esse: simulq; ingenium * humanum superbia elatum, & celsitudinis appetens, atq; ab alterius imperio perferendo refugiens, authoritatis illius, † quæ minimè omnium est inuidiosa, exemplo, ad officium obsequiumq; in magistratum perduceret, atq; assuefaceret. Parentum enim nomine non solùm, vt obtemperemus obediamusq; magistratibus, sed etiam vt eos colamus & diligamus: vicissimq; vt superiores imperent inferioribus, vt iustus parens probis filijs solet, præscribitur. Rom.13.a.4. Heb.13.c.17. *Exod.32.b.9. Luc.19.c.14. † Pro.3.c.12. Mat.7.b.9. Luc.11.b.11. 1.Thes.2.c.11.

M. Promissio illa mandato addita quid sibi vult?

A. Longa * fruituros vita, & in certa ac stabili bonorum possessione diu permansuros esse, qui meritos debitosq; parentibus, & magistratibus honores habuerint. Exod.20.b.12 Deu.5.b.16. Ephe.6.a.2.3.

M. At hæc promissio peculiariter ad Iudæos, qui pij in parentes fuerint, spectare videtur.

Gen.12.b.7.&13 d.15.& 26.a.3. Deut.34.b.4. *Gen.1.a.1. Psal.24.a.1.& 115.d.16. Dan.4.c.22.

A. Non est dubium, quin quod de terra † Chanaan nominatim dictum sit, ad Iudæos propriè pertineat: verùm cùm Deus totius orbis sit * Dominus, quascunque nobis sedes incolendas dederit, eas in possessione nos nostra esse retenturos, hac lege promittit & confirmat.

A. Verùm in tam ærumnosa pariter ac flagitiosa vita, prouectam ætatem cur Deus in beneficij loco ponit?

2.Reg.22.a.1, Psal.18.a.1.2.3. Ier.14.b.8 Heb.2.d.15,

A. Quia dum suorum miserijs, † & calamitatibus opem fert, vel eos in tot circumstantibus periculis tuetur, & à vitijs atq; peccatis auocat: paternum in eos vt liberos suos animum, beneuolentiamq; declarat.

M. Quid, an ex contrario sequitur, eos quibus citò aut ante decursam ætatem vita adimitur, aut quos vitæ huius miseriæ atque ærumnę premunt, in odio apud Deum esse?

Iob.1.c.12.& 5.c. 17. Pro.3.b.12. Mat.5.b.10.11.

A. Nihil minùs: imò quo quisque * ferè Deo est charior, eo vel grauiùs malis oneratur, vel citiùs ex hac vita, quasi è carcere, à Deo euocatus atque emissus, migrare solet.

M. An non ista interim veritatem fidemq; promissionis Diuinæ, infirmare videntur?

Deu.28.a.1.2. Esai.1.c.19.20. Ier.22.a.4.5.

A. Minimè. Quum enim terrena nobis bona Deus pollicetur, hac vel aperta † vel tacita exceptione semper vtitur, modò ne ea animis interim nostris

stris minùs salutaria sint, aut pernitiosa. Esset enim valdè præposterum, atq; peruersum, nisi animæ semper * præcipua ratio haberetur, atque ita mundana commoda vel consequamur, † vel illis careamus, vt æuo sempiterno beati perpetuò fruamur.

Mat.5.d.29.& 18 a.8.
†2.Re.7.c.14.15.
2.Cor.6.b.8.

M. Iam quid de illis, qui parentibus magistratibúsue minùs obsequentes fuerint, aut eos violarint, aut occiderint etiam, dicemus?

A. Huiusmodi ferè omnes vel * fœdissimam miserrimamq; vitam producunt, vel eam immaturo acerboq; interitu, & infami morte de medio sublati, per summum dedecus amittunt: Neq; in hac modò vita, sed & in futuro † sæculo æternas impietatis suæ pœnas perpetuò luent. Nam si homines à nobis alienissimos, vel inimicos * etiam aduersarioſq; capitales lædere, nedum occidere Dei mãdato, quod proximè sequitur, prohibemur, quàm sit nobis ab omni in parentes iniuria, à quibus vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita est, abstinendum atq; cauendum, facilè profectò intelligimus. Et si prædarè à sapientibus priscis dictum est, vultu lædi pietatem, parentesq; verbo vocéue violare, summum esse nefas, quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipsum, si res postularet, iura Diuina atque humana cogebant?

Exo.21.c.17.
Leuit.20.b.9.
Deu.12.c.18.&c.
Pro.30.c.17.
†Mat.15.a.4.
Rom.1.d.30.32.
& 13.a.2.b.5.
*Leuit 19.d 17.
Mat 5.c.21.&c.
Luc.3.c.14

M. At multò est adhuc atrocius patriæ parentem, quàm suum violare, aut occidere.

A. Profectò: Nam si singulos homines parentes

ſuos priuatim violare, flagitium: necare, parricidium ſit: quid dicemus de illis, qui contra rempub. contra patriam antiquiſſimam ſanctiſſimamq;, & communem omnium parentem, quam nobis chariorem eſſe quàm noſmetipſos decet, & pro qua nemo bonus dubitat mori, ſi ei ſit profuturus? qui contra principem, patrem patriæ ipſius, & reipub. parentem coniurarunt, atq; impia arma tulerunt: & quos deſerere vel deſtituere proditio ſit, de illorum pernicie, exitio, interitu cogitare? Verbo ſatis digno tam nefaria res appellari nullo modo poteſt.

M. Recita iam Sextum mandatum.

Exod.20.b.13. Mat.5.c.21. Iac.2.b.11.

A. †NON OCCIDES.

M. Satiſne huic legi obtemperabimus, ſi manus à cæde & ſanguine puras habuerimus?

Deut.30.b.6. Pſal.24.b.4. Mat.9.a.4. Heb.3.c.12. †Mat.5.c.21.22.23. Gal.5.d.20. 1.Ioan.2.b.11.

A. Deus non externis tantùm operibus, ſed animi etiam *affectibus, adeoq; his potiſſimùm legem tulit: † ira enim & odium, & quæuis nocendi cupiditas, cædes coram Deo cenſetur. Ab his ergò nos etiam Deus hac lege prohibet.

M. Plenè ergò legi ſatisfaciemus, ſi odium in neminem concipiamus?

Mat.5.d.23.24.25. Luc.6.d.27. Rom.12.d.18.

A. Imò odium damnando, Dominus amorem erga *omnes homines, etiam inimicos exigit: adeoq; vt illis qui nobis malè precãtur, & hoſtili in nos ſunt odio atque crudelitate, non modò ſalutem & incolumitatẽ, omniaq; bona precemur, ſed de illis, quantum in nobis erit, benè etiam mereamur.

M.

M. Iam præceptum septimum quodnam est?

A. †NON ADVLTERABERIS. Exod.20.b.14. Deu.5.b.18. Mat.19.c.18.

M. Quid eo tibi contineri videtur?

A. Hoc præcepto omne fœdæ vagæq; libidinis genus, omnisq; quæ à libidine nascitur turpitudo, vt contrectandi petulantia, orationis * obscœnitas, vultus gestúsue lasciuia omnis, atque impudicitiæ significatio quæuis prohibetur. Nec verborum modò turpitudo, obscœnitasq; rerum vetatur, sed, quoniam tum corpora, tum animæ nostræ † templa sunt Spiritus sancti, quò pura sit in vtrisq; castitas, pudor pariter, & pudicitia à Deo exiguntur: ne vel corpora vllis libidinis sordibus, vel animi obscœnis cogitationibus, * aut cupiditatibus vllo modo polluantur: sed casti puriq; perpetuò seruentur. Rom.13.d.13. 1.Cor.6.b.9. Iac.2.b.11 1.Cor.3.d.16.17. & 6.d.15.19. 2.Cor.6.d.16. * Iob.31.b.9. Pro.6.c.25. Mat.5.d.27.28.

M. Perge ad cætera.

A. Octauum præceptum est, NON FVRABERIS. quo præcepto non tantùm furta illa quæ humanis legibus puniuntur, verum etiam omnes fraudes, † atq; fallaciæ damnantur: nulli verò contra hanc legem flagitiosiùs committunt, quàm qui per rationem fiduciæ, eos erga quos amicitiam simulant, maximè fraudare solent. Qui enim fidem lædunt, oppugnant omnium commune præsidium. Ne ergò cuipiam imponamus, ne circumueniamus quenquam, ne emendi aut vendendi quæstu & lucro duci nos ad iniuriam sinamus, neue mercaturis faciendis iniustè rem quæramus, aut * mensuris vel ponderibus imparibus atq; iniquis vtentes, quæstum faciamus, aut fallaces, & fucosas merces ven- Exod.20.b.15. Mat.19.c.18. 1.Cor.6.b.8.9.10 †1.Thes.4.b.6. Tit.2.c.10. Pro.11.a.1.& 20. b.10.d.11.

dentes opes augeamus, prohibemur.

M. An quicquam amplius de hoc præcepto dicendum existimas?

A. Maximè: Nam non externa solùm furta fraudesq; prohibentur: nec vt mercatum tantùm sine furto atque fallacijs instituamus, cæteráque omnia sine insidijs agamus, hac lege iubemur: verùm etiam vt animo ita affecti simus, vt impunitate & ignoratione omnium proposita, ab iniuria abstineamus tamen. Nam quod agere coram hominibus iniquum, id etiam velle coram Deo malum est. Omnia ergò consilia & studia, ipsaq; in * primis cupiditas ex alienis incommodis nostra quærendi commoda, hac lege vetantur. Deniq; vt ad suum quisque quàm primùm perueniat, & quod quisq; habeat sui, id vt cuiq; saluum maneat, omnibus modis operam dare, hac lege admonemur.

Psal.62.d.10
Zach.8.c.17
Mich.2.a.12
Act.20.g.33

M. Nonum præceptum quod est?

A. NON ERIS † ADVERSVS PROXIMVM TVVM TESTIS MENDAX.

Exo.20.c.16
Deut.5.c.20
Mat.19.c.18

M. Quis est huius præcepti sensus?

A. Ne insiurandum aut fidem * violemus: nec publica tantùm manifestaq; periuria, sed & omnia in vniuersum mendacia, calumniæ, † obtrectationes, maledicta, quibus damnum vel detrimentum proximus faciat, vel famam & existimationem amittat, hac lege prohibentur: vna enim forma generalem doctrinam continet: Adeóque falsa aut vana, nec ipsi vnquam loqui, nec in alijs, vel verbis, vel scripto, vel silentio, vel præ-

Exo.23.a.1.
Leui.19.c.11.12.
Deu.19.d.18.19
Mat.19.c.18.
† Psal.15.a.3.
Soph.3.c.13.
Luc.3.c.14.

sentia

sentia adeò nostra, tacitoue assensu approbare debemus: sed simplicis veritatis *amicos perpetuò & cultores esse, veritate semper niti, in veritatis lucem prout locus, tempus, aut necessitas postulabit, omnia studiosè proferre, veritatis deniq; patrocinium vbique arripere, illamq; modis omnibus tueri & defendere oportet. Pro.12.c.17.19. 2.Cor.13.c.8. Ephe.4.f.25.

M. Huic ergò legi vt satisfiat, linguæ & calamo temperare non est satis?

A. Secundum rationem ante adductam quum maledicta vetat, sinistras † etiam suspiciones & iudicia iniqua vetat. Nam hic legislator animi affectiones semper maximè respicit. Hæc ergò lex vel ad malè de proximis sentiendum, nedum ad eos *infamandos propensos nos esse prohibet: imò hoc nos esse candore atque æquitate iubet, vt & de illis quantum veritas patitur, benè sentiamus, & suam ipsis existimationem, quantum in nobis erit, integram tueri studeamus. Mat.7.a.1.2. Rom.14.a.3.4. 1.Cor.13.b.5.7. Pro.25.c.17. 1.Pet.2.a.1.2.

M. Quæ subest ratio, quòd Dominus in lege sua animi vitiosos affectus grauissimorum scelerum nominibus appellat? Odium enim & iram, cædis appellatione: lasciuiam omnem cogitationemq; fœdam, adulterij: cupiditatem iniustam, furti nomine complectitur.

A. Ne, vt est hominum ingenium, ad impios *animi affectus, vt ad leuia quædam, conniueremus, eos Dominus iustitiæ suæ regula metiens, veris nominibus designat. Ita enim seruator noster paternæ mentis interpres optimus, ita diuinus ille Rom.7.b.7. 1.Cor.10.b.6. Iacob.4.a.1.

Spiritus rectè intelligendi Magister summus, ista explicat: * Qui irascitur, inquit, fratri suo, homicida est: qui cõcupiscit mulierẽ, adulterium perpetrauit.

Mat.5.d.22.28.& 15.b.19
1.Ioan.3.c.15

M. Verùm cùm vitia tantùm & peccata his præceptis prohibeantur, cur tu interpretando, virtutes etiam contrarias præcipi dicis? Nam prohibito adulterio, castitatem: cæde & furto vetitis, summam beneuolentiam beneficentiamq́; præcipi dicis: atq; ita in cæteris.

A. Quia idẽ seruator noster sic interpretatur, summam legis non in abstinẽtia tantùm ab iniuria maleficioq́;, sed in * dilectione atque charitate constituens. Sicut & regius propheta † antea monuerat: Declina (inquiens) à malo, & fac bonum.

Mat.22.d.39
Rom.13.c.8.9.
Gal.5.c.14
†Psal.37.c.27

M. Supereſt iam vltimum præceptum.

A. NON CONCVPISCES * CVIVSQVAM DOMVM, NON VXOREM, NON SERVVM, NON ANCILLAM, NON BOVEM, NON ASINVM, NEC QVICQVAM OMNINO ALIVD, QVOD ALTERIVS SIT.

Exod.20.c.17
Mich.2.a.2
Rom.7.b.7
1.Cor.10.b.6

M. Cùm totam legem spiritualem esse, nec ad coërcendum tantùm externa maleficia, sed & ad internos animi affectus frænandos institutam esse iam aliquoties commemoraris, quid hîc amplius præcipitur, quod antea fuit omissum?

A. Actiones prauas, affectusq; animi vitiosos Deus suprà prohibuit: nunc verò † summam à nobis integritatem requirit, vt ne cupiditatem quidem vllam vel leuissimam, aut cogitationem minimam à recto quoquo modo declinantem, in animum obrepere sinamus.

Esay.1.d.16
Rom.13.d.14
Gal.5.d.14.

M.

M. Quid ergò, improuisas & repentinas etiam cupiditates, momentaneasq; cogitationes, quæ pijs etiam sese ingerunt, peccata esse dicis, etiam si illis obnitantur potiùs quàm obtemperent?

A. Omnes certè prauas * cogitationes, etiamsi non accedat consensus, ex natura nostra deprauata prodire constat. Cupiditates verò repentinas, quæ corda humana sollicitant, nec tamen firmam animi assensionem approbationemq; eliciunt, non est dubium quin Deus hoc præcepto, vt peccata damnet. Par enim est, vt coram * Deo in cordibus etiam nostris, atq; animis, sua atque ea summa integritas & mundities reluceat. Non enim illi potest innocentia iustitiáq; † nisi summa placere: cuius & hanc suam legem, perfectam nobis regulam proposuit.

Gene.6.8.d.21 Psal.94.b. Prou.20.b.9. Mat.15.d.18.

Esa.1.d.16.&.29.d.13.c.15. Iere.4.b.14. Ezec.18.g.31. Mat.5.a.8. † Psal.5.a.4.5 2.Cor.6.c.14.

M. Hactenùs Decalogum breuiter & dilucidè explicuisti: verùm hæc omnia sigillatim à te per partes tractata, an non possunt paucis in vnam quasi summam colligi?

A. Quid ni? cùm Christus cœlestis magister vniuersam legis vim ac naturá summatim breuissimoq; compendio sit complexus, in hunc modum dicens: * DILIGES DOMINVM DEVM TVVM, EX TOTO CORDE TVO, EX TOTA ANIMA TVA, EX TOTA MENTE TVA, ET EX TOTIS VIRIBVS TVIS: ET HOC MAXIMVM EST PRAECEPTVM IN LEGE. SECVNDVM AVTEM EST HVIC SIMILE, DILIGES PROXIMVM SICVT TEIPSVM. AD HÆC ENIM DVO MANDATA, VNIVERSA LEX ET PROPHETÆ REFERVNTVR.

Mat.22.d.37 Mar.12.c.30 Luc.10.c.27

M. Dei amorem qualem hic requiri intelligis?

A. Qui Deo videlicet conueniat: id est, vt simul & Dominum † eum potentissimum, & optimum * patrem, & seruatorem clementissimum agnoscamus. Huic proinde amori, & maiestatis suæ † reuerentia, & obsequium erga * voluntatem eius, & in bonitate eius † fiducia adiungenda est.

Deut.10.d.17. 3.Reg.18.f.39. 1.Tim.6.c.15. *Esa.63.d.16. Math.6.b.8. 1.Tim.1.a.1. †Den.10.c.12. Psal.96.a.7. 1.Cor.10.g.31. *Deut.6.c.17. Rom.12.a.2. †Psalm.2.d.12. & 25.a.1.& 31.a. 1.& 118.8.

M. Totum cor, anima tota, totæq; vires quid significant?

A. Eum nimirum amoris ardorem, eamq; synceritatem, vt nullis omnino * cogitationibus, desyderijs nullis, nedum studijs & actionibus, quæ Dei amori aduersentur, locus sit. Chari parentes (inquit ille) chari liberi, propinqui, familiares, charior adhuc patria: sed omnes omnium † charitates pietas erga Deum summusq; in eum amor non complectitur solùm, verùm etiam longè multúmq; superat: pro quo quis bonus dubitet mortem oppetere? Deum enim non tantùm suis omnibus, sed & seipso etiam chariorem habet homo verè pius.

*Deut.30.b.6. Ios.23.c.11. Mat.10.d.37. Luc.14.f.26. †Ioan.14.b.15.c. 21.23.24.&.15. b.10.

M. Iam de proximi amore quid dicis?

A. Amoris vincula, Christus inter Christianos suos arctissima esse voluit. Quum verò natura ad nos ipsos † amandos simus propensissimi, nec apertior, nec breuior, deniq; nec efficacior, aut æquior fraternæ charitatis regula excogitari potest, quàm quæ à Domino ex ipsa natura desumpta nobis proponitur, vt eâdem videlicet proximum beneuolentia, qua seipsum, quisq; prosequatur. Ex quo sequitur, vt nihil proximo * faciamus, nihil de illo dicamus, aut sentiamus, quod non & alios nobis

Ioan.13.d.34.35. 1.Cor.13.b.5. Ephe.5.a.29. Phil.2.c.21.

Mat.7.b.12.& 22 d.39 Luc.6.d.31. Ro.13.c.9.10.

nobis facere, vel de nobis loqui, aut sentire velimus. Qua vnica lege si teneremur, quę omnium aliarum legum est quasi anima, nihil opus esset profectò tot legum cancellis, quos ad cohibendas mutuas iniurias, & ciuilem societatem tuendam, homines quotidiè excogitant: idq; penè frustrà, si huius vnius legis nulla sit inter mortales obseruatio.

M. Proximi nomen quàm latè se fundit?

A. Non cognatos modò, affines, aut amicos, qui aliqua nobiscum necessitudine sunt coniuncti: verùm & eos etiam, qui nobis † sunt incogniti, adeoq; inimicos etiam nostros complectitur Proximi appellatio. Mat.5.g.43. Lu.10.f.33.36. Ioan.13.d.34. 1.Thes.4.c.9.

M, At quid isti nobiscum habent communionis?

A. Eo sanè vinculo, quo Deus, vniuersum genus humanum colligauit, nobis sunt coniuncti: quod inuiolabile * ac firmum esse voluit, & nullius proinde prauitate, odio, aut malevolentia aboleri potest. Quamuis enim nos, quispiam oderit, manet nihilominus ipse nobis proximus, eóque loco semper habendus est, quòd ordo ille, per quem hæc hominum inter homines societas, & coniunctio est conciliata, firmus atq; inuiolabilis semper manere debeat. Atque ex hoc facilè intelligi potest, quare scriptura Sacra charitatem, † siue amorem, inter primarias religionis Christianæ partes esse voluerit. Mat.5.g.44. Luc.6.d.27. 1.Ioan.2.b.9.&3 b.10.& 4.b.7. Gal.5.2.6. 1.Ioh.3.d.23.

M. Verùm quid sibi vult quod in fine adiungitur, huc referri totam legem & Prophetas?

A. Quòd reuera omnium ſumma illuc pertineat. Admonitiones enim, præcepta, cohortationes, promiſſiones, minæ, quibus paſſim ipſa Lex & Prophetæ, & Apoſtoli vtuntur, ad nihil aliud quàm huius legis finem, quaſi ad ſcopum collimant. Et ad charitatem * omnia in ſacris literis ſic referuntur, vt eò nos quaſi manu ducere videantur.

Mat.7.b.12
Luc.6.d.31
Rom.13.c.8.10
Gal.5.b.14.
1.Tim.1.b.5

M. Iam porrò volo vt mihi dicas, quænam ſit lex hæc quam narras, eadémne illa quam nos vocamus Legem naturæ, an præter eam etiam altera?

A. Id olim abs te me didiciſſe memini præceptor, nempe legem, vt rationem ſummam in natura humana à Deo inſitam fuiſſe, cum † integra adhuc ea eſſet, & incorrupta: (vt quæ ſcilicet ad Dei imaginem erat creata) itaq; lex naturæ & eſt, & dicitur. Poſt contractam verò peccati labem, tametſi ſapientum * animi vtcunq; huius natiui luminis fulgore illuſtrati ſint, in maxima tamen hominum parte ita reſtinctum eſt hoc lumen, vt eius vix vllæ ſcintillulæ conſpiciantur. Adeoq; contra diuina decreta atq; edicta in hac conſcripta lege, quæ amorem in Deum atq; homines ſummum iubent, Dei ↓ atq; hominum odium acre penitus eſt multorũ animis inſitum: vnde tanta in Deum impietas, tam hoſtilis crudelitas in homines.

Ge.1.d.26.27.31.
Ephe.4.f.24.
Col.3.b.10.
Luc.1.g.79.
Act.14.c.17.&
17.f.27
Rom.1.c.19
Mat.24.c.9.10.b.
12.
Ioan.17.c.14
2.Tim.3.a.2.

M. Vnde fit quòd Deus voluerit eam in tabulis deſcribi?

A. Dicam: † Imago Dei in homine poſt Adami lapſum, natiuo malo, & conſuetudine praua adeò obſcurata eſt, & iudicium naturale adeò vitiatum,

Luc.1.g.79.
1.Cor.2.d.14
Eph.4.d.17.18

vt

vt homo non ſatis intelligat, honeſtum turpi quid interſit, neciuſtum iniuſto. Eam itaq; imaginem volens benignus Deus in nobis renouare, per legem in tabulis deſcriptam * perfectæ iuſtitiæ regulam expreſſit: adeò quidem ad viuum, vt nihil à nobis aliud requirat Deus, niſi vt eam ſequamur. Neq; enim aliud ille ſacrificium acceptum habet, quàm † obedientiam: & proinde exoſum illi eſt, quicquid præter eius præſcriptum in religione, aut pietatis negotio ſuſcipimus.

Pſa.19.c.8.& 119 a.1. Baruc.4.a.1 †1.Reg.c.15.c.22 Oſe.6.c.6 Mar.12.c.33

M. Verùm quum nihil de priuata cuiuſq; vocatione in hac lege præcipiatur, quomodo poteſt hæc vitæ regula eſſe perfecta?

A. Vt nihil de ſingulorum officijs hic explicatè præcipiatur, quum tamen quod ſuum eſt cuique † reddere nos lex iubeat, in ſumma colligit, quæ ſint cuiuſq; in ſuo priuatim ordine, ac vitæ genere partes atq; officia. Hic verò Dominus breuiter & ſummatim paucis complexus eſt, quę extant paſſim in Scripturis, de ſingulorum officijs, ſinguliſq; præceptis explicatiſſima.

Exod.20.b.12.15 & toto capite.

M. Quum ergò formam ritè colendi Dei perfectam lex oſtendat, nónne omnino ſecundum eius præſcriptum viuendum eſt?

A. Adeò quidem, vt Deus ex legis præſcripto viuentibus vitam † polliceatur: contrà verò, legis ſuę violatoribus * mortem denuntiet, ſicut antè dictum eſt. Atq; hanc ob cauſam ſuperiùs in partiendo, obedientiam, vt vnam ex primarijs religionis verę partibus, recenſui.

Deu.8.a.1.& 30. c.15. Mar.19.c.17 Ioan.12.g.50 *Deu.11.d.28.& 30.c.17. Rom.1.c.18.& 6. d.23.

M. Iustos ergò esse censes eos, qui Legi Dei per omnia obediunt?

Rom.10.a.5. Genc.6.b.5.&.8 d.21. Pro.20.b.9. Ro.7.c.14.15. Gal.2.d.16.

A. Sanè, si qui id præstare possint, iusti ex lege essent: verùm ea imbecillitate † laboramus omnes, vt nemo quod debet omni ex parte impleat. Nam vt demus inueniri, qui Legi aliqua ex parte obtemperet, non tamen is ideò coram Deo iustus erit: nam * execrandos & detestabiles pronuntiat omnes, qui non omnia impleuerint, quæ in lege continentur.

*Gal.3.b.10. Iac.2.b.10.

M. Nullum ergò mortalem ex lege coram Deo iustum esse statuis?

Iob.25.b.4. Rom.3.d.28.& 4 c.15. Gal.2.c.16.d.21. & 3.b.10.

A. Nullum omnino: Nam & † scripturę idem pronuntiant.

M. Cur ergò legem tulit Deus, quæ perfectionem exigat facultate nostra maiorem?

Luc.17.c.10. Rom.3.c.20. Gal.8.a.3.

A. In lege ferenda Deus non tam quid nos præstare possemus, qui nostra culpa * imbecillitate laboramus, quàm quid ipsius iustitia dignum esset, spectauit. Quum verò Deo, non nisi summa † iustitia placere possit, eam viuendi normam quam ipse descripsit, omnino perfectam esse oportuit. Deinde nihil à nobis exigit lex, cui præstando obstricti non sumus. Quum verò longissimè à debita * legis obedientia absimus, nulla idonea aut iusta excusatione homines coram Deo sese defendere possunt: adeoq; vniuersos coram Dei tribunali lex & reos sistit, & condemnat etiam: Atque id est quod Paulus, legem ministerium mortis, & dãnationis vocat.

Psal.5.a.4.5.6. 2.Cor.6.c.14.

Iob.4.d.17.& 15. b.14. 2.Par.6.g.36. Gal.2.c.16. †Rom.3.c.19.& 7.b.8.10. Gal.3.b.10.

M.

M. An lex ergò vniuersos simul in hoc desperatissimo statu collocat?

A. Incredulos * quidem atq; impios, hoc, quo dixi, loco lex & statuit & relinquit: qui vt ne minimum quidem legis apicem implere possunt, ita nullam prorsus in Deo per Christum fiduciam habent. Inter pios tamen, alios præterea vsus lex habet. Deu.27.d.26 Rom.3.b.10 Iac.2.b.10.

M. Cedo quos?

A. Principio Lex tam † exactam vitæ perfectionem flagitans, quasi scopum pijs, ad quem collimare, & metam, ad quam eniti conueniat, demonstrat, vt ad summam rectitudinem in dies proficiendo magno conatu contendant: hanc enim mentē voluntatemq; Deo immortali duce, pij suscipiunt. Maximè verò cauent, quantum efficere & consequi possunt, ne quod in ipsis insigne vitium fuisse dicatur. Deinde cùm multò maiora * viribus humanis lex exigat, cumq; tanto oneri se impares esse sentiant, ad petendam à Dómino virtutem eos excitat. Præterea cùm lex eos perpetuò † reos agat, salutari dolore animos eorum percellit, & ad pœnitentiam, de qua ante memini, veniamq; à Deo per Christum petendam atque impetrandam adigit: simulq; ne suæ innocentiæ confidant, aut superbire coram Deo audeant, coërcet. Estq; illis perpetuò fræni instar, quo in Dei timore retineantur. Postremò dum absolutam iustitiam * per opera sua se consequi non posse ex lege discunt, cùm per eam animorum suorum maculas atq; sordes † tanquam in speculo contueantur, ad humilitatem Deu.6.b.6.7. Ios.1.b.7.8. Psal.1.a.1. Psal.116.2.5 Rom.7.c.14 2.Cor.3.b.5 †Deu.27.d.27 Ro.3.b.10.11.12. 2.Cor.3.c.9 *Pro.20.b.9 Rom.3.c.20.21 Gal.2.c.16 †Rom.3.c.20.& 7.b.7.& 8.a.3

hoc pacto eruditos, ad quærendam in Christo iustitiam eos & præparat & remittit.

Rom.10.3.4 Gal.3.b.10.&c.& d.24. *M.* Quantum ergò video, * legem Dei, quasi pædagogum quendam ad Christum esse dicis, quæ nos per agnitionem nostri, pœnitentiam, & fidem ad Christum recta deducat.

A. Ita est.

Secunda pars de Euangelio & Fide.

Transitio. *M.* Quum ergò abundè, vt in compendio toti huic de lege atque obedientia quæstioni satisfactum sit, chariſſime fili, iam de Euangelio, quod Dei promissiones continet, & iuris diuini violatoribus Dei dementiam per Christū pollicetur, quodq; fides maximè respicit, vt dicamus, ordo postulat: hoc enim in nostra partitione secundum fuit: atq; huc etiam, ipsa rerum, de quibus iam egimus, series nos quasi manu perduxit. Euangelij ergò, simulq; fidei nostræ summa quænam est?

Pag.10.v.25

A Ea nimirum ipsa, qua fidei Christianæ præcipua capita, breuiter olim perstricta, continentur: quæq; vulgò Symbolum Apostolorum appellatur.

M. Fidei compendium cur Symbolum nominatur?

A. Symbolum, si interpreteris, est signum, nota, tessera, aut indicium, quo commilitones ab hostibus dignoscuntur: vnde Compendium fidei, quo Christiani à non Christianis distinguntur, Symboli nomen sibi rectè asciuit.

M. Sed qua de causa Apostolorum Symbolum dicitur? *A.* Quòd

A. Quòd vel ab ore Apostolorum exceptum, vel exillorum scriptis summa fide collectum, ab initio vsq; Ecclesiæ receptum, perpetuò inter omnes pios firmum, ratum atque immotum, v certa atq; constituta Christianæ fidei regula, permanserit.

M. Agè nunc, Symbolum ipsum mihi recites velim.

A. Fiet. CREDO IN *DEVM* PATREM OMNIPOTENTEM, CREATOREM COELI ET TERRÆ: ET IN *IESVM CHRISTVM*, FILIVM EIVS VNICVM DOMINVM NOSTRVM, QVI CONCEPTVS EST E' *SPIRITV* SANCTO, NATVS EX MARIA VIRGINE: PASSVS SVB PONTIO PILATO, CRVCIFIXVS, MORTVVS, ET SEPVLTVS EST: DESCENDIT AD INFEROS, TERTIA DIE RESVRREXIT A' MORTVIS: ASCENDIT AD COELVM, SEDET AD DEXTERAM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS, VNDE VENTVRVS EST AD IVDICANDVM VIVOS ET MORTVOS. CREDO IN *SPIRITVM* SANCTVM. SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM. SANCTORVM COMMVNIONEM, REMISSIONEM PECCATORVM, CARNIS RESVRRECTIONEM, ET VITAM ÆTERNAM. AMEN.

M. Breuiter ista à te, & strictim proposita sunt mi fili, quo circa operæ pretium est, vt de singulis quid credas, clariùs dicas atq; explicatiùs. Et primùm, in quot partes totam hanc confessionem distribuis?

A. In quatuor præcipuas: quarum in prima de *Partitio.*

Deo Patre, & rerum omnium creatione: in secunda, de eius filio Iesu Christo, quæ etiam totam redemptionis humanæ summam complectitur: in tertia, de Spiritu sancto: in quarta, de Ecclesia, & Diuinis in ipsam beneficijs tractatur.

M. Perges ergò ordine quatuor istas mihi partes explicare: & primum quid in ipso statim Symboli initio Credendi nomine significas?

Mat.28.d.19 Rom.1.b.17 Ioan.1.b.12.13. Gal.3.d.26 †Mat.10.c.32 Rom.10.b.9 Heb.4.d.14

A. Me veram ac viuam, id est, * Christiani hominis fidem in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctũ habere, eamq; hæc confessionis formula †testari me, atq; comprobare.

M. Est ne ergò fides aliqua, quæ vera viuaq; non sit?

Rom.1.d.31* Tit.1.d.16 Iac.2.d.26

A. Est certè fides quædam generalis, vt ita loquar, est & * fides mortua.

A. Quum ergò non leuis momenti res sit, quam credendi, Christianæq;, id est, veræ ac viuæ fidei nomine complecteris, agè, explica mihi quænam ea sit, quomodoq; à fide illa generali & mortua etiam distinguatur.

Mat.7.d.22 Luc.11.f.47 1.Cor.13.a.2

A. Fides in genere ea est, quæ veritati verbi Dei † fidem habet: id est, quæ omnia in scripturis de Deo, eiusq;, immensitate, potentia, iustitia, sapientia, misericordia item in homines fideles ac pios, summaq; seueritate in incredulos atque impios, cæteraq; in scripturis tradita vniuersa vera esse credit.

M. Annon omnia hæc etiam & vera illa, quam dicis

dicis, fides credit?

A. Maximè: verùm ea vltra progreditur, ſicuti mox dicemus. *Nam hactenùs non impij ſolùm homines, ſed & dæmones etiam credunt: neque tamen † fideles proinde ſunt, aut dicuntur. At vera fides, vt omnia in verbo Dei tradita certiſſima eſſe nihil dubitat, *ita promiſſiones de Dei Patris miſericordia, & peccatorum remiſſione fidelibus omnibus per Chriſtum factas, quæ propriè † Euangelium dicuntur, amplectitur: quam qui habent, non ſolùm *Deum vt potentiſſimum omnium Dominum, iuſtiſſimumq; iudicem timent (quod & homines impios plerosq;, & ‡ Dæmones etiam facere iam antea diximus) verùm etiam vt † patrem ſuum optimum atque clementiſſimum amant: cui vt placere per omnia pijs ſtudijs operibusq;, quę fidei fructus dicuntur, vti obſequentes filios decet, ſtudent, ita de eius *venia, ſi quando vt homines ab eius voluntate aberrarint, per Chriſtum impetranda, bonam certamq; ſpem concipiunt. Peccata enim ſua, Chriſto, cui fidunt, † iram Patris placante, non magis ſibi vnquam imputanda ſciunt, quàm ſi ea nunquam fuiſſent perpetrata. Et quamuis legi, officioq; erga Deum atque homines ſuo non ſatisfecerint ipſi, Chriſtum tamen ſumma legis obſeruatione, Deo pro ſe cumulatè ſatisfeciſſe credunt: & per hanc illius *iuſtitiam & Diuinę legis obſeruationem, in numero locoq; iuſtorum, & Deo charos haberi ſe, haud aliter ac ſi legem obſeruaſſent ipſi, perſuaſum habent. Atq; hęc ea eſt † iuſtitia, quam non fide conſequi

Rom.1.d.32 Tit.1.d.16 Iac.2.d.19 †Ioan.1.b.12 Gal.3.d.25.26 *Luc.24.c.47 Rom.4.c.16 †Eſai.61.a.1 Luc.2.b.10.11. & 4.c.18 *Deu.10.d.20 Pſal.111.b.10 ‡Iac.2.d.19 †Deu.10.c.12 Pſal.1.a.2.3 Col.2.a.6 Eph.5.a.1.2.b.8 *Mat.1.d.21 Rom.3.d.24.&5 a.1 †Eph.2.c.15.16 Col.2.c.14 Heb.10.c.17 1.Ioan.2.a.1.2 1.Cor.1.d.30 2.Cor.5.d.18 Eph.1.b.6.7 Phil.1.b.9 †Rom.3.c.21 Gal.2.c.16

sequi Sacræ literæ declarant.

M. An non ista etiam in Dæmonibus, aut hominibus impijs esse possunt?

Gen.4.b.13 Pro.10.d.24 Mat.27.a.4.5 Iac.2.d.19 1.Ioan.4.d.18

A. Nihil minùs: nam * tametsi Deum vt potentissimum iustissimumq; timeant, aut horreant potiùs, quum suæ eum impietatis vltorem fore sciant, in eius tamen in se bonitate & clementia, neque vllam fiduciam, neque ad eius gratiam receptum aliquem habere, neque eius voluntati obsequendi studium vllum suscipere possunt. Itaque eorum fides, tametsi de veritate verbi Dei non ambigant, mortua † dicitur: vt quæ trunci instar aridi atque emortui, fructus nullos piæ vitæ, id est, amoris in Deum, charitatisq; in homines, vnquam ex se edat.

Mat.7.d.23 Luc.8.b.1.13 1.Cor.13.a.2.3.c 14. Iac.2.d.26 Tit.1.d.16

M. Ex his ergò, quæ hactenùs commemorasti, definitionem mihi cedo viuæ illius & veræ Christianæ fidei.

Fidei definitio.

A. * Fides est certa cognitio, paternæ Dei erga nos per Christum beneuolentiæ, fiduciaq; in eadem, sicuti in Euangelio testatum est, quę † studium piæ vitę, id est, Dei patris voluntati obsequendi semper coniunctum habet.

*Ioa.1.b.12.13 Ro.8.a.1.b.14.g 38.39 Col.2.a.2.3 1.Thes.1.b.5. Heb.10.d.22.23. & 11.a.1 †Psal.1.a.3 Mat.7.c.17.18.& 13.c.23. Gal.5.a.6 1.Pet.1.c.14.15

M. Satis explicuisti, quid fidei, credendiq; nominibus significes. Perge iam, quibus commodissimè possis verbis mihi edissere, quid per Dei nomẽ, quod in symbolo proximè sequitur, intelligas.

Gal.4.b.8 2.Pet.1.a.4

A. Annitar pro meo ingenio atq; facultate, præceptor optime. Intelligo * naturam esse vnam, vel †substantiam,

† substantiam, vel animum, vel mentem, vel *spiritum potius diuinum (varijs enim modis de Deo loquuti sunt sapientes, tum Ethnici, tum nostri, quum nihil de eo propriè dici possit) † æternum, absque principio & fine, * immensum, ‡ incorporeum, oculis humanis minimè conspicuum, maiestate † augustissima, quem vocamus Deum: quem oportet vniuersos mundi populos *reuereri, & summo honore colere, omnemq; in eo, vt optimo maximo, spem † fiduciamq; collocare.

Heb.1.a.3
*Ioan.4.d.24
†Rom.1.c.20.& 16.d.26
*Mat.6.b.13.& 19.d.26
‡Ioan.1.c.18
Col.1.c.15
†Psal.104.c.31
Esai.2.c.10.d.19.
1.Tim.1.d.17.& 6.c.16
*1.Cor.10.g.31
†Psal.36.b.7

M. Quum vnus sit Deus, edisserе cur in Christianæ fidei confessione tres commemoras, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

A. Non* multorum Deorum, sed trium destinctarum in vna diuinitate personarum hęc sunt nomina. In † vna enim Dei essentia, * PATREM, qui filium ab æterno ex se genuit, intueri conuenit, vt originem primumq; rerum omnium authorem: † FILIVM, ex patre ab æterno genitum, qui sit ęterna Dei patris sapientia: * SPIRITVM SANCTVM, ab vtroq; procedentem, vt Dei virtutem per omnia diffusam, sed ita, vt etiam perpetuò in ipso resideat: † neq; diuidi tamen propterea Deum. Ex his enim tribus personis nulla aliam, aut *tempore, aut magnitudine, aut dignitate anteit: sed Pater, Filius, & Spiritus sanctus, tres distinctæ personæ, ‡ æternitate æquęuæ, potentia æquales, dignitate pares, Deitate vnum sunt. † Vnus ergò ęternus, immortalis, omnipotens, gloriosus, optimus, Max. Deus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ita enim de Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto, à

*Mat.1.c.16.17. & 28.d.19
1.Ioan.5.b.7
†Ioan.10.f.30
Gal.3.c.20
†Gen.1.a.1
1.Cor.8.b.6
†Ioan.1.a.1.& 17 a.5
Col.1.b.15
Heb.1.a.2.3.5
*Luc.1.d.35
Ioan.14.d.26
Act.5.a.3.4
1.Cor.12.a.4
†Ioan.10.f.30
1.Cor.8.b.6
Gal.3.c.20
*Ioan.1.a.1.& 5. c.17.18.d.21.23
Phil.2.a.6
‡1.Ioan.5.b.7
†Deut.4.f.35.39
Psal.86.c.9.10.& 104.c.30.31.
1.Tim.1.d.17

Christianorum vniuersitate, quę Catholica Ecclesia dicitur, ex scripturis sacris * proditum est: quum alioquin huius mysterij immensitas tanta sit, vt ne mente quidem concipi, nedum verbis explicari queat: in quo proinde simplicitas fidei Christianę ad credendum parata, potiùs quam ingenij † acumen ad inquirendum, vel linguę etiam officium ad explicandum mysterium tam arcanum, atque occultum requiratur.

*In Symboli, siue confessionib. fidei Christ. Apost. Nican. & Athan.

*Pro.25.d.26

M. Verissimum quidem est quod dicis. Perge ergò: cur Deum vocas patrem?

Prima pars Symboli. Deus Pater.

A. Eius rei præter eam, quam ante memoraui, præcipuam causam, quòd videlicet * naturalis sit Pater vnici filij sui ab æterno ex se geniti: duę sunt alię causę, ob quas noster etiam Pater & sit & dicatur. † Vna, quòd nos omnes initio creauit, quodq; vitam omnibus est largitus: de qua mox plura dicemus. * Altera verò maioris etiam momenti est, quòd videlicet, iterum diuinitùs per spiritum sanctum nos genuit, & † fide in verum, & naturalem filium suum Iesum Christum, nos sibi filios adoptauit, & regno suo, ac vitę æternę hęreditate per eundem donauit.

*Mat.3.c.17 Ioan.1.b.14 Rom.15.b.6 2.Cor.1.a.3.& 11 g.31 †Gen.1.d.27 Mal.1.a.6.& 2.b. 10. *Ioan.3.a.3.5 1.Pet.1.a.3.d.23. †Ioan.1.b.12. Rom.8.c.15.17.d 23.& 9.a.4 Gal.4.a.5.6 Eph.1.a.5.6. Tit.3.b.7

M. Quo sensu nomen illi omnipotentis tribuis?

A. Quòd * mundum, & vniuersa vtì condidit, ita in potestate etiam habeat, prouidentia gubernet, arbitrio constituat, omnibusq; prout illi visum fuerit, imperet: sic vt nihil nisi eius decreto permissiue fiat, nihil sit quod ille efficere non possit: neque enim otiosam quandam Dei potentiam, quam

*Esai.40.c.21 Mat.5.g.45.& 10 c.29. Ephe.1.b.11

non

non exerceat, imaginor.

M. An impios etiam homines, spiritusq; malignos Dei imperio subdis?

A. † Quid ni? Miserrimè enim alioqui nobiscum ageretur, vt quibus nunquam securis esse liceret, si quid illis in nos, præter Dei voluntatem, permitteretur. Verùm eos Deus quasi fræno suæ potentiæ ita coërcet, vt ne mouere quidem se, nisi eius nutu aut permissu, possint vnquam. Nos verò vna hæc consolatio sustentat, ita nos in omnipotentis esse patris potestate, vt ne vnus ‡ quidem capillus noster, nisi ex eius voluntate, qui nobis tam benè vult, perire possit.

Iob.1.b.10.11.12 Mat.8.d.31.32 Luc.12.d.31.32 Ioan.10.c.28 Act.2.d.23.& 4.c 27.28.& 12.b.11

Luc.12.a.7.& 21. d.18.

M. Perge.

A. * Quum Dei Opt. Max. bonitatem atque immensitatem mens humana per se capere nullo modo possit, cœli eum & terræ, & rerum, quæ in eis continentur, vniuersitatis creatorem esse addimus: quibus verbis, Deum in operibus suis † & mundi artificio, tanquam in speculo quodam contemplandum, & quoad nostra id refert, cognoscendum esse significamus. Quum enim magnitudinem illam immensam mundi videmus, eiusq; partes omnes ita esse constitutas, vt neque ad speciem pulchriores, neque ad vsum meliores esse potuerint: statim intelligimus Dei opificis atq; ædificatoris infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem. Quis enim est tam vecors, qui aut cùm suspexit in cœlum, Deum esse non sentiat? Imò ob hanc maximè causam Deus homines primùm humo excitatos, celsos & erectos constituisse videtur, vt superarum

Ioan.1.c.18 1.Tim.1.d.17

Psal.19.a.1.& 50 b.7. Rom.1.c.19.20

atq; cœlestium rerum essent spectatores, & ipsius cognitionem, cœlum intuentes, capere possent.

M. Quomodo Deum omnia creasse dicis?

Gen.1.a.1 Psal.33.b.6. Act.14.c.15

A. *Deum patrem Opt.Max.initio, & ex nihilo, non solùm cœlum, & vniuersum hunc mundum aspectabilem, & res in eis omnes quæcunq; continetur, † sed & spiritus etiam incorporeos, quos Angelos appellamus, * per potentiam verbi sui, id est, Iesu Christi filij sui, fabricasse & condidisse.

†Col.1.c.16 *Ioan.1.a.3 1.Cor.8.b.6 Heb.1.a.3

M. Verùm an pium esse putas, affirmare Deum Opt. Max. spiritus vniuersos, etiam malignos illos, quos Diabolos vocamus condidisse?

Gen.1.d.31 Ioan.8.f.44 Col.1.c.16 Iud.b.6

A. Deus quidem eos tales non condidit: sed ipsi ab origine sua, absq; vlla spe recuperandæ salutis, sua ipsorum malitia exciderunt. Itaq; non creatione & natura, sed naturæ corruptione mali effecti sunt.

M. Quid: an satis habuit Deus semel vniuersa condidisse, omni rerum cura in posterum abiecta?

A. Hoc quidem antea breuiter attigeram: cum verò tueri & conseruare res conditas multò sit præstantius, quàm eas semel condidisse, * certò credendum est, vbi mundum & omnia sic fabricasset, ea deinceps & conseruasse, & hactenùs conseruare. Ruerent enim vniuersa, atq; ad nihilum reciderent, nisi eius virtute, & quasi manu sustinerentur. † A Deo etiam totum naturæ ordinem, & rerum mutationes, quæ fortunæ vicissitudines falso putantur, pendere: Deum * cœlum versare, ter-

Psa.75.a.3.&104 b.10.&145.c.15. Colos.1.d.16.17 Heb.1.a.3

Mat.10.c.29.30 *Exod.14.c.21 Psal.89.b.10.& 147.c.8.9

ram

ram tueri, maria moderari, omnem hunc mundum regere, eius numini omnia parere, eius numine omnia gubernari certò credimus: † eum serenitatis & tempestatis, pluuiæ & siccitatis, fœcunditatis & sterilitatis, sanitatis ac morborum authorem esse: eum, * quæcunq; ad vitam nostram tuendam conseruandamq; pertinent, & vel ad vsus necessarios, vel ad honestam voluptatem expetuntur, rerumq; adeò omnium, quas natura desiderat, abundantiam & copiam munifica manu suppeditasse semper, atq; etiam suppeditare largissimè: vt nimirum illis perinde vteremur, ac memores & pios filios decet.

† Leu.26.2.4.&c. Psal.144.c.11. 145.c.16.17 Esai.51.2.3 Mat.5.g.45 Rom.14.b.6 1.Cor.10.g.31 Ephe.5.2.4 1.Tim.4.2.3.4 1.Pet.5.b.7

M. Quem ad finem, Deum Opt. Max. vniuersa hæc condidisse existimas?

A. Mundus ipse hominum † causa factus est, & quæcunque in eo sunt, ad vsum fructumq; hominum parata sunt. Et vt res alias omnes Deus hominis gratia, ita hominem ipsum ad suam ipsius * gloriam condidit.

Finalis causa. †Gen.1.d.26.29.30. Psal.8.b.7.&c. & 104.c.14.15 Eccl.3.c.14 *Pro.16.2.4 Esa.43.b.7 Rom.11.c.36 Col.1.c.16.

M. Quid ergò habes, quod dicas de prima hominis origine & creatione?

A. Id quod scripsit Moses: Deum scilicet ex argilla primum † hominem finxisse, illiq; animam & vitam inspirasse: deinde de viri latere somno sopiti, detractam mulierem in lucem produxisse, vt eam illi vitæ sociam adiungeret. Ac propterea homo ADAMVS vocatus est, quia ex * terra traxit originem: mulier autem, quia omnium † viuentium mater erat futura, appellabatur * EVA.

Ge.2.b.7.d.21.22 Gen.2.b.7.&.3.d.19 †Gen.3.d.20 **Al.Heua.*

M. Cùm tanta in vtrisq; viris pariter atq; fœminis vitiositas, improbitas, peruersitasq; hodie conspiciatur, an eos Deus tales ab initio condidit?

A. Nihil minùs. Deus enim summè bonus, nihil nisi *bonum potest efficere: Hominem ergò primùm Deus ad † imaginem & similitudinem suam condidit.

*Gen.1.d.31
†Gen.1.d.26 Col.3.b.10

M. Imago autem illa, ad quam hominem ais formatum esse, quænam est?

A. Ea est absolutissima iustitia, & perfectissima sanctimonia, quæ ad ipsam Dei naturam quàm maximè pertinet: quæq; in * Christo nouo, nostro Adamo, præclarissimè est demonstrata: cuius in nobis, quædam quasi scintillulæ vix iam comparent.

Rom.8.f.29 1.Cor.15.f.49 2.Cor.3.d.18.& 4.2.4 Col.1.b.15.& 3.b.10.

M. Itáne vix comparent?

A. Profectò: neque iam ita splendent vt in initio ante hominis lapsum, quandoquidem homo peccatorum *tenebris, & caligine errorum imaginis huius splendorem restinxit.

Rom.1.c.22 1.Cor.1.c.18.23.& 2.d.14.& 3.d.19. Eph.4.d.17

M. At quomodo hoc factum sit dicas volo.

A. Dicam: Cùm mundum hunc fabricatus esset Dominus Deus, *hortum ipse parauit cultissimum, plenissimumq; oblectationis & iucunditatis, quæcunq; expetibiles erant, delitijs vndiq; affluentem. Hic Dominus Deus singularis cuiusdam beneuolentiæ gratia hominem collocauit, omniaq; illius vsui permisit: tantùm illi fructu arboris † scientiæ boni & mali interdixit, morte, si illum gustaret, denuntiata. Par enim erat, vt tot beneficijs * affectus

*Gen.2.b.8.

Gen.2.c.17 *Gen.3.b.11 Psa.8.b.4.5.6.&c

fectus homo, hactenus parendo, libenter se Dei imperio obtemperare ostenderet, vtq; sua contentus sorte, altiùs sese contra conditoris voluntatem, conditus ipse non efferret.

M. Quid deinde factum est?

A. Mulier * à Diabolo illusa, viro persuasit, vt vetitum fructum gustaret: quæ res vtrunq; morti statim obnoxium effecit: deletaq; illa cœlesti imagine, ad quam primùm est conditus, in locum sapientiæ, virtutis, sanctitatis, veritatis, iustitiæ, quibus eum ornamentis Deus induerat, teterrimæ successerunt pestes, * cæcitas, impotentia, impietas, vanitas, iniustitia, quibus etiam malis, atque miserijs progeniem suam, atque adeò omnem posteritatem implicuit & cooperuit. Gen.3.a.1.b.6.7. Act.14.c.15.16.& 17.c.22 Rom.1.c.22.&.8 b.7.8 1.Cor.2.d.14 Eph.4.d.17.18.& 22.

M. Verùm an non nimiùm seuerè vnius pomi gustum vltus esse Deus videri possit?

A. Ne quis hominis scelus grauissimum, vt paruum delictum eleuet, neue ex pomo tantùm, † & immensa gula factum spectet. Nam ille vnà cum coniuge sua, dolosis * Satanæ illecebris captus atq; irretitus, à Dei veritate incredulus ad mendaciùm deflexit: serpentis calumnijs, quibus Deum & mendacij, & inuidiæ, & maleuolentiæ insimulat, fidem habuit: tot † beneficijs affectus, in authorem ingratissimus extitit: terræ filius, cui parùm videbatur, quòd ad Dei similitudinem factus esset, intolerabili * ambitione atq; superbia, sese Dei maiestati æquare affectauit: deniq; conditoris se imperia † contumaciter subduxit, imò iugum eius Gen.3.a.6 Gen.3.a.4.5 Psal.8.b.4.5.6 Gen.3.d.12 †Gen.3.b.11 Osc.6.b.7. Rom.5.d.19.

petulanter excussit. Frustrà ergò Adę peccatum verbis extenuatur, quum facinus fuerit, in quo omnia nefaria contineri atq; inesse videntur.

M. Atqui parentum culpa omnem posteritatem summa priuari fœlicitate, vltimisq; malis atque miserijs onerari, quomodo non iniquum videbitur?

A. Adamus generis humani primus parens extitit: ornamẽtis itaq; illis cum Deus affecit, vt ea tam sibi quàm suis, hoc est, vniuerso hominum generi haberet simul ac perderet. Eo itaq; spoliato, natura vniuersa nuda, inopsq;, ac bonis omnibus destituta deseritur: illoq; peccati labe inquinato, quasi * à radice truncoq; vitiato, tami vitiosi enati sunt: qui vitium suum in alios ex se nascentes surculos, transtulerunt. Inde autem tam breue, † exiguum, atq; incertum vitæ curriculum nobis circumscriptum: inde nata est carnis nostræ infirmitas, * corporum debilitas, imbecillitas, fragilitasq; humani generis: inde horribilis mentium † cæcitas, & animorum prauitas: inde ista distortio deprauatioq; affectionum & cupiditatum omnium: hinc illud * seminarium, & quasi sentina peccatorum omnium, cuius vitijs genus humanum inficitur & conflictatur: cuius mali proprium, verumq; nomen quærentes, nostri PECCATVM ORIGINIS appellarunt.

Mat.7.c.18.& 12. d.33.
Rom.5.b.12.14.c 17.18.19
1.Cor.15.c.22.& g.48.
†Psal.139.2.3.6. 7.b.9.10.& 102.b 8.9.& 109.23.&c.
*Iob.14.2.1.&c.
†Rom.1.c.22.
1.Cor.3.c.18.19.
Eph.4.d.17.18. 19.
*Rom.5.b.12.&c

M. An in hac tantùm vita, peccati huius pœnas luit humanum genus?

A. Imò hoc natiuo malo ita corrupta est natura & perdita, vt nisi bonitas * & misericordia omnipotentis Dei, afflictis nobis, adhibita medicina, tulisset

Gen.3.d.14.15.
Mat.1.d.21.
Col.1.d.13.

tulisset opem atq; auxilium, quemadmodum fortunis in calamitates omnes, corporibus in vniuersas † morborum mortisq; miserias incidimus: ita necessariò in * tenebras, atq; sempiternam noctem, & ignem, qui extingui non potest, ibi omni supplicio perpetuò excruciandi, precipites rueremus. Nec mirum alias etiam res † conditas, eam pœnam, quam commeruit homo, in cuius vsum conditæ erant subijsse: perturbatoq; in cœlo * & terra toto naturæ ordine, noxias tempestates, sterilitatem, morbos, atq; alia infinita mala in orbem inuasisse: in quas ‡ miserias atq; ærumnas, præter natiuum illud malum, multis nostris, magnisq; peccatis meritissimè incidimus.

Gen.3.c.17.18.19. *Mat.8.b.12.& 22.b.13. Gen.3.c.17. Gen.3.c.17.18 19. Ose.6.b.7 2.Cor.11.a.3

M. O funestam atque horrendam ex peccato cladem & calamitatem. At quenam tandem illa est, quam nobis feciste Deum medicinam dicis, in qua primi nostri parentes, & reliqui deinceps eorum posteri spem posuerunt & defixerunt? *Transitio.*

A. Ad eam nimirum salutis spem erecti sunt, quam ex fide in Iesum Christum liberatorem atq; seruatorem, ipsis à Deo * promissum, conceperunt: Hoc enim est quod iam proximè in Symbolo sequitur: *Secunda pars Symboli. Deus filius.* Gen.3.c.14.15

CREDO IN IESVM CHRISTVM, &c.

M. An & primis parentibus nostris Deus liberationis per Iesum Christum spem statim fecit?

A. Profectò: Nam vt Adamum * & Euam verbis primum grauiter castigatos, de horto deturbauit, ita † serpentem deuouit, † & minatus est illi tempus olim fore, quo mulieris semen caput illi imminueret. Gen.3.b.11.12. 13.c.17.d.23.24 †Gen.3.c.15.

M. Quod verò est semen illud, de quo loquitur Deus?

Gal.3.c.16.19. *A.* Semen * illud est (vti clarissimè nos docet Paulus) Iesus Christus filius Dei, verus Deus, & filius virginis, verus homo, in quo nos fiduciam atque spem nostram collocare, secundo loco in Symbolo profitemur: qui conceptus est è Spiritu † sancto, & genitus ex sanctæ, castæ, atq; incorruptæ virginis Mariæ natura: atque ea matre sic natus & enutritus est, vt reliqui infantes, nisi quòd ab omnis peccati contagione * omnino purus esset atque alienus.

Mat.1.d.20.21. Luc.1.d.31.35

Ioan.1.d.29 Heb.4.d.15.& 9. d.14.

M. An satis ergò habuit Deus semel in Veteri testamento de hoc semine promisisse?

A. Imò promissionem hanc humano generi optatissimam, Dominus Deus parentibus † nostris primùm factam, identidem illorum posteris confirmauit, quò maiore expectatione illius præstandæ homines tenerentur. Nam fœdere per circumcisionem * cum Abrahamo & eius semine imito, ipsi primùm, mox Isaaco eius filio, deinde Iacobo nepoti promissum suum confirmauit. Postremò, clarissimis per Mosen † cæteroſq; prophetas suos editis oraculis, promissi sui constantiam retinuit atq; seruauit.

Gen.3.d.14.15.

Gen.17.b.10.& 22.d.18.& 26.2.4. & 28.c.14.

†Deu.18.c.15.& 34.2.4.

Psal.89.2.4.f.35. Esai.53.& 54.2.3. & 65.b.9

M. Quid autem sibi voluit ista verba, Serpentis caput conterere?

A. In * serpentis capite venenum eius continetur, vitaq; & virtutis summa consistit: caput ergò serpentis, vniuersam vim atq; potentiam, & regnum

Psal.74.c.13.& 140.2.3.4 Eccle.10.b.10 Amos.9.2.3

M. aut

aut, vt verius loquar, tyrannidem diaboli, Serpentis antiqui significat: quam * vniuersam, Iesus Christus, semen illud mulieris, in quo promissi sui summam Deus compleuit, virtute mortis suæ subegit. Itaq; Serpentis caput conterens, omnes sibi fidentes ab eius tyrannide in libertatem vindicauit. Hoc enim est, quod hic in Symbolo profitemur, nos IN IESVM CHRISTVM DEI FILIVM CREDERE: id est, Iesum Christum nobis, qui impietate & scelere obstricti atq; obligati, & mortis æternæ laqueis irretiti tenebamur, & Serpentis Diaboli fœda seruitute premebamur, libertatis vindicem esse, atq; seruatorem.

Mat.1.d.21 Act.10.f.38 Col.1.d.13.14. &c. 2.Tim.2.d.26 Heb.2.d.14.15. 1.Ioan.3.b.8

M. Videris mihi interim, & ipsum nomen IESV, illustri admodum explicatione esse interpretatus.

A. Profectò: neq; enim aliud Hebræis est IESVS, quàm Σωτὴρ Græcis, Latinis SERVATOR. Nam vt vim eius exprimant, aliud magis aptum nomen non habent. Ex his autem quæ diximus obscurum iam esse non potest, quare hoc nomen sit adeptus: solus enim ille suos æterno exitio, cui alioqui erant destinati, exemit & seruauit. Et alij quidem hoc nomen vsurparunt, quod corporibus hominum salutem attulisse visi sint: At * Iesus Christus animas simul & corpora sibi fidentium solus seruare potest.

Mat.1.d.21 Act.4.b.10.12 Rom.5.b.9.10 Phil.2.b.9

M. A quo est illi hoc nomen inditum?

A. Ab * Angelo, Dei ipsius iussu. Nomini verò quod ipsi Deus imposuit, reuera etiam eum respondere necesse fuit.

Mat.1.d.21 Luc.1.c.31.&2.c. 21.

M. Iam CHRISTI nomen quid sibi velit, dicito.

Psal.2.a.6.& 110 a.5 Dan.9.g.24.25 Luc.7.c.16 Act.7.c.37.

A. Idem est, ac si † vnctum diceres: quo significatur, eum summum Regem, Sacerdotem, ac Prophetam esse.

M. Vnde hoc constabit?

Leuit.4.a.3 1.Reg.16.a.1.b. 12.13

A. Ex sacra scriptura: quæ & * vnctionem ad tria hęc accommodat: & eadem sæpè Christo tribuit.

3.Reg.19.d.15.16

M. An ergò oleo, quali in priscis Regibus, Sacerdotibus, & Prophetis creandis vsi sunt, vnctus est CHRISTVS?

Luc.4.c.18 Act.4.c.27.& 10. f.38 Heb.1.c.9 *Ioan.1.b.14.16.

A. Nequaquam: verùm multò præstantiore: vberrima videlicet † Spiritus sancti gratia, qua repletus * fuit, diuinisq; eius opibus accumulatissimè præditus: cuius cœlestis vnctionis externa illa, vmbra tantummodò fuit.

M. Sibine soli hæc adeptus est, an & nobis etiam aliquas inde vtilitates præbet?

Luc.22.c.29 Ioan.1.b.14.16 2.Cor.1.d.21. Col.1.b.13 2.Tim.4.a.8.

A. Imò à Patre ista Christus accepit, vt nobiscum eadem, modo atq; ratione, quam conuenire cuiq; maximè nouit, communicet: † ex eius enim plenitudine, vt ex vnico, sancto, atque augusto fonte, haurimus omnes quicquid habemus cœlestium bonorum.

M. Non ergò mundanum dicis esse CHRISTI regnum?

Luc.1.d.33 Ioan.18.f.36 Col.1.b.13.14 2.Tim.4.a.1.

A. *Minimè: sed spirituale & æternum, quod verbo & Spiritu Dei, quæ iustitiam secum & vitam ferunt, regitur atq; administratur.

M. Quem

M. Quem nos ex hoc regno fructum percipimus?

A. Virtute & spiritualibus † armis, ad carnem, mundum, peccatum, Satanam, immanes & capitales animarum nostrarum hostes debellandos, nos instruit: beatam conscientiarum libertatem largitur: deniq; Diuinis suis opibus præditos, ad piè sanctéq; viuendum iuuat & confirmat. Rom.13.d.12.& 16.c.20 2.Cor.6.b.7.& 10.a.4 Ephe.4.b.8.& 6. b.11

M. Qualis Sacerdos est CHRISTVS?

A. *Maximus, & æternus: qui solus sese Deo sistere, solus sacrificium, quod ille gratum acceptumq; habeat, facere, & solus Dei iram placare valet. Psal.110.b.4 Heb.4.d.14.15.& 5.b.6.& 7.a.3.b. 11.c.15.16.21.26. &c.& 9.d.14.

M. Quo ista nostro commodo facit?

A. Quia nobis à *Deo pacem ac veniam petit & precatur, nobis iram Dei placat, nosq; patri reconciliat. Solus enim Christus Mediator noster est, per quem cum Deo redimus in gratiam. Sed & collegas nos quodammodò sibi † in sacerdotio suo facit, nobis quoq; dans aditum ad Patrem, vt in eius conspectum cum fiducia prodire, & nos ac nostra omnia Deo Patri in sacrificium per ipsum offerre audeamus. *Luc.2.b.14. Ioan.14.d.27 Act.10.f.36 Eph.2.c.14.17 Col.1.c.20. 1.Tim.2.b.4.5 Heb.9.b.14.15 †Rom.8.c.14.15. & 12.a.1 Gal.4.a.5.6 Ephe.3.b.12 He.4.d.14.15.16

M. Prophetia Christi cuiusmodi est?

A. Quum prophetas Dei optimi maximi seruos, vt voluntatem suam mortales edocerent, antea à se missos, homines * contemnerent atque aspernarentur, verbumq; eius sacrosanctum suis somnijs atque inuentis iam planè obscurassent, atque obruissent, ipse Dei filius Prophetarum omnium Mat.15.a.3.8.9. & 21.d.34.37. Luc.11.g.47.50 Act.7.e.37.f.51. 52. Heb.1.a.1.2.

Dominus in hunc mundum descendit, vt Patris voluntate quàm plenissimè declarata, prophetijs, ac vaticinationibus omnibus finem imponeret. Patris ergò legatus † atque internuncius ad homines venit, vt ipso interprete, in rectam Dei cognitionem ac veritatem omnem adducerentur. Ita triplex illud officium & munus, quod Dei filius à Patre cœlesti susceptum expleuit, vt nobiscum fructum eius omnem communicaret, Christi nomine continetur?

Ioan.1.a.4.5.&8. d.26.c.40.& 15.c. 15.& 17.a.6.&c. & g.37

M. Hoc ergò in summa dixisse videris, filium Dei non modò dici, & esse IESVM CHRISTVM, id est, Seruatorem, Regem, Sacerdotem, Prophetam, sed & nobis, & ad nostrum commodum atque salutem ita esse.

A. Omnino.

M. Verùm quum pijs † omnibus hic honor habeatur, vt Dei filij nuncupentur, quomodo Christum filium Dei Vnicum appellas?

Ioan.1.b.12.13.& 11.g.52 Rom.9.f.26

A. Solius Christi Deus * naturalis est Pater, solus Christus naturâ Dei filius est, vt qui ex substantia patris genitus, vniúsque cum Patre essentiæ est: nos verò Deus gratuitò per Christum filios sibi asciuit atque adoptauit. Itaque Christum vnicum Dei filium rectè agnoscimus, quum hic illi honor, suo summoq; iure debeatur: filiorum tamen nomen adoptionis † iure nobiscum etiam per Christum gratis communicatur.

Mat.2.c.15.& 3.d 17 Ioan.1.b.14.c.34 & 14.b.10 Heb.1.a.3.& 5.b 5. Rom.8.c.15. Gal.4.d.5 Ephe.1.a.5 1.Ioan.3.a.1

M. Iam Dominum esse nostrum quomodo intelligis?

A. Quòd

A. Quòd principatum illi Pater in * homines, Angelos, atq; vniuersa detulerit: quodq; Dei regnum in cœlo pariter ac in terra nutu atque potestate sua administret. Hinc verò admonentur pij omnes, non sui † se iuris esse, sed totos tum corporibus, tum animis, tum in vita, tum in morte in Domini sui esse potestate, cui vt seruos fidissimos obedire, & in omnibus obsecundare oportet.

Deu.10.c.17 Mat.9.a.6.& 10 2.1.& 28.d.18 Luc.1.d.32 Ephe.1.d.20 †Deu.10.b.12.c 20. Mal.1.2.6

M. Quid deinde sequitur?

A. Quomodo naturam humanam assumpserit, necessariaq; ad salutem nostram vniuersa præstiterit, memoratur.

M. Itáne Dei filium hominem fieri oportuit?

A. Omnino: quod enim homo in Deum peccauit, * hominem quoque luere atque expiare necesse erat: quod onus longè grauissimum, † nullus nisi homo Iesus Christus tollere atque sustinere poterat. Sed neque ↓ mediator esse alius poterat ad Deum hominibus conciliandum, pacemq; inter eos conficiendam, nisi idem Deus pariter atque homo Christus. Itaque homo factus, nostram quasi personam induit, vt in ea salutis nostræ partes susciperet, sustineret, perageret, atq; absolueret.

Mat.17.d.22.23. & 20.d.18.19. Ioan.11.f.50 Rom.5.c.15.&c 1.Cor.15.c.21 Phil.2.a.6.7. Heb.2.b.9 †Esai.53. ↓1.Tim.2.b.5 Heb.9.d.15.& 12 f.24.

M. Verùm cur è Spiritu sancto conceptus est, natusq; ex Maria virgine, potiùs quàm consueta, ac naturali ratione procreatus?

A. Qui aliorum scelera expiare, impiosq; ac damnatos in integrum restituere debeat ac possit, nulla ipsum † labe aut macula peccati imbutum vel as-

Ioan.1.d.29.

1.Cor.5.b.7. Heb.4.d.15.&7 d.26.27.&9.d.14 *Gen.6.b.5.6 Psal.14.a.23.& 51.a.5 Rom.3.c.10 †Esai.7.c.14. Mat.1.c.20.23 Luc.1.c.31.d.35 *Exod.12.a.5 Ioan.1.d.29.36 1.Pet.1.d.19 Apoc.14.a.4

sperſum, ſed ſingulari ac ſumma integritate, & innocentia præditum eſſe oportet. Quum ergò penitùs * corruptum & contaminatum eſſet humanum ſemen, in conceptione Filij Dei, mirificam atque arcanam Spiritus ſancti virtutem, † qua in vtero caſtiſſimæ puriſſimæq; virginis, atque ex eius ſubſtantia formaretur, intercedere oportuit, ne communi illa humani generis labe ac contagione polluereturr. Chriſtus ergò puriſſimus ille * agnus à Spiritu ſancto, conceptu virginis ſine crimine genitus edituſq; eſt, vt maculas noſtras, qui vt in peccato & dedecore primùm concepti natiq; ſumus, ita deinde in turpi vita commoramur, lueret, elueret, atque deleret.

M. At cur nominatim Mariæ virginis fit mentio, in hac confeſſione Chriſtiana?

Gen.22.d.18 Eſai.11.a.1 Mat.1.a.1.&c.& 22.d.42 Rom.1.a.2

A. Vt agnoſcatur eſſe verum illud † Abrahæ ac Dauidis ſemen, de quo diuinitùs vaticinationibus Prophetarum prædictum atque præmonſtratum fuerat.

M. Ex his quæ iam ſunt dicta, intelligo Ieſum Chriſtum Dei Filium, naturam humanam ad hominum ſalutem induiſſe: perge ergò, quid deinde factum eſt?

Eſai.53.toto.& 61.a.1 Ierem.33.c.14 *Luc.4.c.18 Act.3.d.22.23.& 7.c.37

A. Doctrinam illam de ſalute per Chriſtum reſtituenda, lætiſſimam, & modis omnibus diuinam, quæ Græco vocabulo εὐαγγέλιον nominatur, à Prophetis † ſanctis Dei ſeruis, antiquitùs proditam: * ipſe tandem Prophetarum Dominus Ieſus Chri-

Christus, Dei, atque idem Virginis Filius, id est, illud ipsum promissum semen, omnes luculentissimè docuit: eandemq; vt per vniuersum orbem terrarum docerent, Apostolis † suis, quos ad illud munus elegerat, mandata dedit. Mat.28.d.18.19 Mar.16.d.15

M. An satis habuit doctrinam hanc simpliciter & clarè verbis tradidisse?

A. Imò quò propensioribus eam animis mortales amplecterentur, * depulsis morbis, fugatis ‡ dæmonibus, atq; alijs infinitis beneficijs, miraculis, & signis, quibus tota † eius, atque Apostolorum suorum vita innocentissimè sanctissimeq; acta, refertissima erat, eandem confirmauit atque comprobauit. Mat.4.d.24.&8. a.2.b.13.15 ‡Mar.9.c.18. Act.10.f.38 †Act.2.d.22.g.43 & 3.a.6.&5.a.5.c 12.15.16.19.

M. At quamobrem Symbolum, omissa eius vitæ historia, à natalibus statim ad mortem transilit?

A. Quia ea tantùm in Symbolo recensentur, quæ sunt in redemptione nostra ‡ præcipua, quæq; illius ita sunt propria, vt eius quasi substantiam in se complectantur. Esai.53.toto. Act.13.d.23.27. &c.

M. Iam mortis eius ordinem & modum mihi edissere.

A. A suis nefariè * proditus, à Iudęis per calumniã malitiamq; accusatus, à Pontio Pilato iudice damnatus, sæuis verberibus crudeliter cæsus, & indignis modis acceptus atq; illusus, in crucem sublatus, illi infixus est: atque ita omni supplicio excruciatus, ignominiosa atque acerbissima morte affectus est. Esai.53. Mat.26.b.14. f.59.60.61.& 27. c.26.28.d.33.34 &c. Mar.15.toto. Luc.23.toto. Ioan.18.& 19.to.

M. Hánccine gratiam pro cœlesti illa doctrina, & pro maximis illis atq; infinitis meritis ipsi retulerunt?

A. Hæc quidem illi in eum crudeliter, malitiosè, atq impiè perpetrarunt: verùm ipse sua sponte * ac volens hæc omnia perpessus atque perfunctus est, vt iratum humano generi Patrem sacrificio hoc suauissimo placaret, vtque pœnas * nobis debitas penderet ac persolueret, atq; nos ex illis hoc modo eximeret. Neq; enim inter homines inusitatum, vt alter, pro altero spondeat, * & fide iubeat, aut luat etiam. Cum Christo autem quasi sponsore, † pro nobis sic passo, Deus summo quasi iure egit: in nos verò, quorum peccata, merita supplicia, pœnasq; debitas in Christum transtulit, lenitate, mansuetudine, clementia, misericordia singulari vsus est. Christus ergò mortem, quæ pœna hominum sceleri à Deo immortali erat constituta, pertulit, ac perferendo vicit. Sed & morte sua victum & subactum fregit ac domuit illum, qui mortis tenebat imperium, † id est, Diabolum, à cuius nos tyrannide atq; seruitute in libertatem vindicauit.

Mat.20.d.28.& 26.c.53. Mar.10.f.45 Ioan.10.b.11.c. 15.17.18 Rom.4.d.25 Col.1.c.20 †Esai.53.toto 2.Cor.5.21 Gal.1.2.4 Eph.1.b.7 Col.2.c.14 *Gen.42.d.19.c. 24.f.37.& 43.b.9. c.23.& 44.c.16.d. 32.33.

Act.10.f.38 Col.1.b.13 Hebr.2.d.14

M. Verùm quum nos morte, quę quotidiè imminet atque impẽdet, nihilo minùs mulctemur, & peccati nostri pœnas luamus, quem tandem ex hac victoria fructum percipimus?

A. Amplissimum profecto. Nam morte Christi effectum est, vt mors * fidelibus iam non sit interitus, sed quædam quasi migratio commutatioq; vitę,

Luc.23.f.43 Io,11.c.25.26

vitæ, breuisq; adeò & certa in cœlum transmissio, quò ducem nostrum intrepidè sequi debemus: qui sicuti morte non interijt, ita nec perire nos patietur. Quocirca pij * mortis metu, quæ laborum, solicitudinum, atque malorum huius vitæ omnium perfugium illis & dux in cœlum sit, exhorrescere iam amplius, aut trepidare non debent.

Ioan.11.b.11. 1.Cor.15.c.18. &c. Phil.1.c.21.23 1.Thes.4.c.13.14

M. Ecquod aliud commodum nobis ex Christi morte accedit?

A. Qui vnius cum Christo per fidem sunt corporis, † in his praui affectus & appetitus vitiosi, quos Carnis concupiscentias vocamus, quasi vnà cum eo in crucem acti, emoriuntur, ne amplius in animis nostris dominentur.

Rom.6.a.4.7.b. 11.12.13.d.22.& 8.a.1.2.3.b.10.11 13. Col.2.c.13

M. Romanus præses sub quo passus est, cur diserte nominatur?

A. Primùm, personarum & temporum designatio rebus fidem tribuit: deinde, Christum suo, atq; à Deo assignato & constituto tempore, naturam nostram suscepisse, ac mortem oppetisse, res ipsa indicat: * quum sceptrum videlicet à Iudæ posteris ad Romanos, † ac alienigenas Reges, qui precarium sub Romanorum imperio regnum obtinebãt, translatum iam esset. Ad hæc, Christum gentibus * ad supplicium tradendum fore, & sententia iudicis capite damnandum, diuinitùs olim fuerat præmonstratum.

Gen.49.b.10 Dan.9.g.25 †Luc.2.a.1.& 3. a.1. Psal.2.a.2 Luc.18.f.31.&32 24.c.26.

M. Id quamobrem tandem?

A. Sententia Iudicis Innocens damnatus est, vt

sontes nos, quorum causa Diuino iudicio conuicta atq; damnata erat, pro cœlesti † tribunali absolueret, & in integrum restitueret. Si enim à latronibus iugulatus, aut commota & concitata seditione, à priuatis hominibus ferro trucidatus fuisset, nullam ea mors satisfactionis, compensationisq; speciem habuisset.

Esai.53.b.3.8 Rom.5.a.1.6.8.& 8.a.1. 2.Cor.5.d.18.23. 1.Pet.3.d.18

M. Atqui Pilatus de illius * innocentia testimonium dixit.

Mat.27.c.18.23 Mar.15.b.10 Luc.23.b.14 Ioan.18.g.38. †Esai.53.a.5. Ioan.1.c.29.36 1.Pet.3.d.18

A. Rectè hoc illi testimonium tribuit † Pilatus, cui de eius innocentia planè constitit. Nam si nocens extitisset, minimè fuisset aptus atq; idoneus, qui alieni peccati pœnas sufferret atque persolueret: Deumq; placatum peccatoribus efficeret. Eum tamen posteà assiduo Iudæorum clamore atque conuitio iactatus, & improbissimis vocibus * fatigatus atque victus, idem ille Pilatus innocentem de sententia populi condemnauit. Vnde liquet non sua ipsum peccata, quæ † nulla in eo erant, nec pœnas ipsi debitas morte luisse, sed debitas hominum sceleri, sibi indebitas pœnas sua voluntate in se susceptas subijsse, sustinuisse, atque dependisse: & nostrorum flagitiorum maculas morte voluntaria, & suo innocentis sanguine luisse atq; eluisse.

Mat.27.c.22 Luc.23.b.18.21. 23.24 Esai.53.a.4.5 1.Pet.2.d.24.& 3 d.18

M. At qua de causa populus summa & singulari integritate atque innocentia virum tam acerbè & penitùs oderat?

Mat.27.b.18 Mar.15.a.10 †Mat.15.b.12

A. Sacerdotes, Pharisæi, & Scribæ, inuidiæ * incendio flagrantes, quum † veritatis vim atque lucem

cem ferre non possent, in eius vindicem atq; asserto- Luc.20.c.19
rem, imperitæ * multitudinis odium concitarunt. Ioan.8.c.40.45.& 11.f.47

M. Quum iudicio damnatus sit, quomodo sua ip- *Mat.27.c.20
sum sponte mortem obijsse dicis? Mat.15.b.11

A. Si Pharisæi, aut Scribæ, aut Iudæi alij, aut simul vniuersi, vitæ necisq; potestatem in Christum habuissent, iamdudum illi mortem maturassent: sæpè enim † antea illi perniciem necemq; machinati Mat.21.d.46
fuerant. Sed & quum in aliud tempus supplicium Mar.11.c.18
eius differre statuissent, * quòd festus ille Azymo- Luc.11.g.53.& 20.c.19
rum dies, quem anniuersarium summa religione Ioan.8.g.59.& 11
cæremoniaq; celebrare solebant, iam adesset: ne id 9.53.57
quidem efficere potuerunt, quin sub ipsum diem *Mat.26.a.4
festum, alieno ipsis tempore, sed diuinitùs huic rei Mar.14.a.1
constituto, pateretur. Vnde satis constat, in ipsorum manu ac potestate nulla harum rerum aut temporum momenta sita fuisse, sed sua ipsum † volun- Esai.53.b.7.d.12.
tate, nulla vi coactum, hanc mortem pro nostra sa- Mat.20.d.28.& 26.f.53.
lute oppetisse. Ioan.10.c.11.15.17.

M. Quare eum potissimùm necis diem illi Deus destinauit?

A. Vt ex ipso etiam tempore intelligeretur, Chri- Mat.26.a.2
stum esse illum * Paschalem, id est, verè castum Luc.22.a.1.7
purumq; agnum, qui morte mactatus, gratissimam Mar.14.a.1
se Patri victimam pro nobis præberet. 1.Cor.5.c.7 Heb.7.d.27

M. Quum eligendæ mortis optio penes ipsum fuerit, cur in crucem agi voluit, potiùs quàm alio quouis supplicio affici?

A. Primùm quidem ex Patris sui voluntate, ad

Esai.53.d.12 Matt.26.d.39.42 Mar.15.c.28. Luc.22.d.37 Ioan.3.b.14

quam se † confirmauit, quæq; tot vaticinationibus, oraculis, signis, atque indicijs diuinitùs olim prodita fuit atq; declarata. Deinde, vltima omnia pati voluit pro nobis, qui vltima omnia eramus commeriti. Erat enim illud mortis genus præ cęteris omnibus † execrandum & detestabile, quo potissimùm tamen pro nobis occumbere voluit, vt diram execrationem, qua scelera nos nostra deuinxerant, in se susciperet, eáque nos hoc pacto exolueret.

†Deu.21.d.23 Gal.3.b.13

Esai.53.toto Psal.22.a.6.7.c. 12.13.&c. Mat.26.g.67.& 27.c.21.26.28.d 34.38.c.44.f.48 Phil.2.a.7.8.

* Contumelias enim omnes, omnia probra atque supplicia, pro salute nostra leuia omnino sibi esse, atq; pro nihilo duxit: adeoq; contemptus, abiectus, & omnium hominum infim⁹ esse sustinuit, quô nos planè perditos, ad amissæ salutis spem erigeret.

M. Ecquid amplius de Christi morte dicendum habes?

Esa.53.a.6. Psal.22.a.1. Mat.26.d.38.& 27.f.46 Luc.22.d.43.

A. † Christum non communi modo morte in hominum conspectu mulctatum, sed & æternæ mortis horrore perfusum fuisse: cum vniuersis Inferorum copijs quasi manum conseruisse, atq; luctatum esse? pro summo Dei tribunali iudicium triste, Diuinæq; animaduersionis grauem seueritatem subijsse: in summas angustias adductum fuisse: horribiles formidines, atq; acerbissimos animi dolores, quô iusto Dei iudicio per omnia satisfaceret, iramq; eius plenè placaret, pro nobis perpessum atque perfunctum esse. Peccatoribus enim, * quorum hic quasi personam Christus sustinuit, non præsentis modò, sed & futuræ etiam æternæq; mortis dolores atque cruciatus debentur. Quum verò humani generis perditi iam atque damnati culpam pariter

Esa. 53.a.4.5.b.8 1.Pet.3.d.18.

riter, iustamq; pœnam ita in se susciperet atq; sustineret, tam graui metu, tantóque animi motu ac dolore perturbatus est, † vt exclamaret, Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? Psa.22.2.1.6 Mat.27.f.46.

M. An non ignominia interim hoc pacto Dei filius afficitur, aut desperationis illi nota quædam inuritur?

A. Ille quidem hæc omnia absq; omni omninò * peccato perpessus est: tantùm abest, vt vlla animum eius desperatio occuparit. Nunquam enim interea Patri † confidere, & benè de salute sperare desiit, nec circumfuso vndiq; pauore obtorpuit vnquam, aut dolore oppressus fuit: & cum vniuersa *inferorum potestate luctatus, aduersam vim omnem, & furentes ac violentos impetus fregit, atque superauit: vniuersaq; hæc in se suscepta, funditus deleuit: ipseq; in primis beatus nihilominùs permansit, beatitudinemq; suam nobis, qui ipsi fidimus, impertiuit. † Nisi enim hac eius verè beata morte salutem vitamq; essemus consequuti, sempiterna omnes morte perpetuò periëramus. 1.Pet.2.d.22. Math.26.d.42. Luc.23.d.46. Heb.5.b.7. Ose.13.d.14. 1.Cor.15.d.26. g.54.55. Col.1.c.13.14. 2.Tim.1.c.10. He.2.d.14.15. Ioan.8.d.24 Ephe.2.c.12 Col.1.c.13 Heb.2.d.14

M. Verùm in Christum, qui Deus sit, quomodo potuit tantus animi dolor atq; trepidatio cadere?

A. Secundùm humanæ * naturæ affectionem, Diuinitate interim potestatis suæ vim non intendente, hoc effectum est. Mat.26.d.41 Rom.8.c.3 1.Pet.4.a.1

M. Iam ergò mihi breuiter summatimq; amplissima illa commoda, quæ ex Christi morte, cruciatuq; longè maximo percipiunt fideles, recense.

A. In summa, † vnico mortis suæ sacrificio, pec- Heb.7.d.27

& 9.d.12.10.c.12 14. cata nostra coram Deo expiauit, & placata Dei ira
Ro.5.b.8.10.11. nos in gratiam cum eo reduxit: sanguine suo vt
2.Cor.5.d.18.19 purissimo * lauacro, animarum nostrarum sordes
*Heb.9.d.13. atque maculas omnes eluit, atque deleuit: & pec-
1.Io.1.b.7. catorum nostrorum † memoriam, ne ampliùs vn-
Apoc.1.b.5. †Psal.32.a.1.2 quam in Dei conspectum veniant, sempiterna obli-
& 55.b.7. uione obruens, * Chirographum illud, quo tene-
Rom.4.b.7.8. Hebr.10.c.17. bamur & conuincebamur, decretumq; cuius sen-
*Col.2.c.14. tentia damnabamur, induxit, & inane factum abo-
leuit. Hæc ille omnia viuis pariter atque mortuis,
Ioan.3.c.16.& 11.c.25.26. illi dum vixerunt † confisis, morte sua præstitit. Po-
stremò mortis suæ vi, cupiditates alioqui effrænatas
atque indomitas, in ijs, qui illi per fidem omnino
Rom.6.a.4.8.b 11.&c.8.a.1.2 3.b.10.11.&c adhærescunt, ita * frænat ac frangit, & illarum ar-
Col.2.c.13. dorem ita restinguit, vt spiritui faciliùs obtemperẽt
atque obsequantur.

M. Cur sepultum fuisse etiam addis?

Esa.53.b.9. Mat.12.c.40 & 27.g.59.60. 1.Cor.15.a.4.5. *A.* Exangue, atque † exanimum corpus sepul-
chro conditum est, vt mors eius testatior esset, vtq;
de ea inter omnes constaret. Si enim statim reuixis-
set, mortem eius pleriq; in discepationem & con-
trouersiam vocassent, atque ita in dubium ea ventu-
ra videretur.

M. Quid sibi vult quod sequitur de eius ad Infe-
ros descensu?

A. Christum vt corpore in terræ viscera, ita ani-
ma à corpore separata, ad inferos descendisse: si-
mulq; etiam mortis suæ virtutem, atque efficaci-
1.Pet.3.d.19. tatem ad mortuos, atq; inferos adeò ipsos ita pe-
netrasse, vt & incredulorum animæ acerbissimam
iu stissi-

iustissimamq; * infidelitatis suæ damnationem: ipseq; inferorum princeps † Satanas, tyrannidis suæ, & tenebrarum potestatem omnem debilitatam, fractam, atque ruina collapsam esse persentiret: contra verò * mortui, Christo dum vixerunt fidentes, redemptionis suæ opus iam peractum esse, eiusq; vim atque virtutem, cum suauissima certissimaq; consolatione, intelligerent atque perciperent.

Ioh.8.d.24.
† 1.Cor.15.g.55. Col.1.c.13.14. He.2.d.13.14.
* Ioh.5.e.25. & 11.c.25.26. Rom.14.b.9.
Col.1.c.19.20.

M. Iam ad sequentia pergamus.

A. Tertio die pòst * reuixit, & quadraginta dierum spacio, suis se viuum frequenter exhibuit, & inter discipulos versatus est, edens ac bibens cum illis.

* Mat.28.b.6.9. Mar.16.b.6.9. Luc.24.a.6.7. b.14.15. Ioh.20.c.14. d.19.20.26.& 21. a.1.4.

M. Quid, an non satis erat, quòd per mortem eius peccatorum liberationem veniamq; impetramus?

Act.1.a.3.4. & 2. d.24.32. & 13.c. 30.31. 1.Cor.15.a.4.5. &c.

A. Id non satis erat, si vel eius, vel nostri rationem habeas. Nisi enim reuixisset, minimè putaretur * Filius Dei: quin & illud ipsi, dum in cruce penderet, ij qui viderant, exprobrabant atq; obijciebant: † Alios inquiunt seruauit, seipsum non potest seruare: descendat nunc de cruce & credemus ei. Iam autem excitatus à mortuis, ad vitæ perennitatem, * Diuinitatis suæ potentiam declarauit maiorem, quàm si descendendo de cruce, mortis terrores refugisset. † Mori quidem omnibus est commune: tametsi verò intentatæ morti quidam se ad tempus subduxerunt, mortis tamen semel oppetitæ vincula soluere, aut abrumpere, & virtute propria, reuiuiscere, id vnici Filij Dei Iesu

*Rom.1.a.4.
Mat.27.c.40.41. 42. Mar.15.c.30. Luc.23.d.35.37
* Rom.1.a.4.
† Heb.9.g.27.

Rom.1.a.4.& 6.a 4.9.& 14.b.9 1.Cor.15.g.54. 55.57 Ephe.1.d.20 Col.1.c.17.18. 1.Ioan.3.b.8 Heb.2.d.14 †Psal.16.b.10 Mat.12.d.40 Act.2.d.26.31

Christi, authoris vitæ proprium est: quo se * peccati, & mortis, ipsiusq; adeò Diaboli victorem demonstrauit.

M. Quam aliam ob causam excitatus est?

A. Vt † Dauidis, & aliorum sacrorum vatum implerentur oracula, qui prædixerunt fore, vt nec corpus eius tentaretur corruptione, nec anima apud inferos relinqueretur.

M. At quas nobis vtilitates præbet, quòd reuixit Christus?

Rom.4.d.25 †Rom.6.a.4.5.b. 11.12.13. Col.3.a.1.2

A. Multiplices, & varias. Inde enim nobis * iustitia, qua antè carebamus: inde innocentiæ † studium, quam vitæ nouitatem vocamus: inde vires, & ad pie sancteq; viuendum virtus nobis, ac robur accedunt: inde nobis spes, & mortalia corpora

Ioan.11.c.25 Rom.8.b.11 1.Cor.15.c.20. 21.22 †1.Cor.15.c.13. 14.16.17

nostra à morte in * integrum aliquando tandem restituenda. Si enim Christus ipse † morte absumptus fuisset, liberator noster minimè extitisset: quæ enim nobis spes esset reliqua salutis per illum, qui seipsum non seruarit? Fuit igitur & consentaneum illi personæ, quam sustinebat Dominus, & necessarium nobis ad salutem adiumentum, vt primùm Christus * seipsum morte liberaret, pòst autem, vt nobis mortis claustra rumperet, atque reuelleret: atque ita salutis nos nostræ spem in resurrectione ipsius collocaremus. Neque enim fieri

Rom.8.b.11 1.Cor.15.b.11.12 d.20.21 1.Pet.1.a.3 Ephe.1.d.22.& 4 c.15.16.& 5.d.23. Col.1.d.18

potest, vt Christus * caput nostrum reuiuiscens, nos corporis sui membra, morte & interitu deleri omnino sinat.

M. Attigisti, mi fili, principes causas resurrectionis

nis Christi: nunc de eius in cœlum ascensu quid censeas, libet audire.

A. In Apostolorum suorum conspectu, circumfusa velatus nube, in cœlum * ascendit, aut potiùs supra omnes cœlos, vbi ad Dei Patris dexteram assidet. Mar.16.d.19 Luc.24.g.51 Act.1.b.9.10

M. Hoc quomodo sit intelligendum, dicito.

A. Simpliciſſimè quidem Christum, † corpore in cœlum ascendisse, vbi priùs corpore non fuerat: terramq; vbi prius corpore fuerat, reliquisse. Nam Diuina natura, quæ omnia implet, & in cœlis semper extitit, & eadem, ac spiritu suo * Ecclesiæ suæ semper in terris præsens adest, aderitq; vsque ad mundi dissolutionem. Ioan.14.c.19.& 16.b.10.c.16.d.28 Mat.18.c.20.& 28.d.20.

M. Aliam ergò Diuinitatis eius rationem, humanitatis aliam esse dicis?

A. Dico præceptor: neque enim aut de eius Diuinitate corpus, aut de illius corpore Deum facimus. Hæc enim † creata est, illa minimè: hanc in cœlum assumptam, in cœlo * manere: illam autem sic † vbiq; esse, vt cœlum & terram impleat, testantur sacræ Scripturæ. Esai.7.c.14 Mat.1.1.2.d.23 Luc.2.a.7.f.40.g.52.53 Ioan.1.2.3.b.14 Gal.4.2.4 *Mar.16.d.19 Luc.24.g.51 Act.1.b.9.10.&3 d.21 Ephe.4 b.10 †Ioan.1.2.3.& 16 c.15.

M. Verùm, an aliquo modo corpore presentem nobis adesse Christum dicis?

A. Si magna paruis componere licet, sic Christi corpus præsens adest nostræ fidei, vt Sol cùm cernitur, adest oculo: nulla enim res, quæ sub sensus cadit, ad similitudinem Christo propriùs accedit, quàm Sol: qui cùm cœlum semper occupet, & pro- 1.Cor.15.d.28 Ephe.1.d.23 Col.1.c.16.17

inde oculum reuera non contingat, tamen corpus Solis preſens aſpectui adeſt, nihil id impediente tanta interualli diſtantia. Sic Chriſti corpus, quod eius aſcenſu nobis ſublatum eſt, * quodq; reliquit mundum, & ad Patrem abijt, ſenſibus quidem noſtris abeſt: fides tamen noſtra † verſatur in cœlo, atque intuetur Solem illum iuſticiæ, ac præſens præſenti in cœlo verè adeſt, vt viſus noſter adeſt corpori Solis in cœlo, aut Sol in terris noſtro viſui. Prætereà verò, quemadmodum Sol lumine ſuo rebus omnibus adeſt, ſic etiam & Chriſtus diuinitate, Spiritu, atq; potentia ſua * præſens adeſt omnibus, atq; omnia complet.

Ioan.14.c.19.& 16.b.10.d.28
†Act.7.g.55
Col.3.a.1
Heb.4.d.16.& 16 d.22.& 11.a.1.3
Mat.28.d.20
1.Cor.15.d.28
Ephe.2.d.23
Col.1.c.17.18

M. Iam quod ad Chriſtum attinet, quid potiſſimùm ſpectas in eius aſcenſu, ſeſſioneq; ad dexteram Patris?

A. Par erat vt Chriſtus, qui à † ſummo honoris atque dignitatis gradu, ad infimam ſerui conditionem, ad ignominiam damnationis atque probroſæ mortis deſcenderat, ampliſſimam rurſum gloriam atque ſplendorem obtineret: eundem nimirum, quem antè habuerat, vt ſcilicet humilitati & ignominiæ, gloria eius atque maieſtas proportione quadam reſponderent. Quod & D. Paulus ad * Philippenſes ſcribens clariſſimè docet: Factus eſt inquit, obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus illum Eccleſiæ caput conſtitutum, ſupra omnes principatus euectum, cœli & terræ imperio, vt omnia gubernet, donatum, ad ſummam extulit ſublimitatem, & dedit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen, vt in nomine

Phil.2.a.6.7.8
Phil.2.b.8.9.10
Ephe.1.d.20.21.22.23
Col.1.c.18.
Heb.2.b.9

mine IESV omne genu se flectat, cœlestium, terrestrium, & infernorum.

M. An quum Dei dexteram, & sessionem nominas, esse Deum humana specie, aut figura, animo & cogitatione fingis?

A. Nequaquam Præceptor: sed quia nobis sermo est de Deo apud homines, humano more, quomodo delatũ sibi à Patre regnum Christus acceperit, vtcunque exprimimus. Solent enim Reges, quos *præcipuo honore dignantur, suæq; dominationis vicarios constituunt, sibi ad dexteram collocare. Istis ergò verbis significatur, Deum Patrem Filium suum Christum † caput Ecclesiæ constituisse: per quem suos tueri, & rerum vniuersitatem gubernare velit.

*1.Reg.1.c.19. Psal.110.a.1 Mat.20.c.21.

†Ephe.1.d.22.& 4.c.15.16.& 5.d. 23. Col.2.d.18.

M. Rectè: iam nos ex eius ascensu in cœlum, sessioneq; ad dexteram Patris, quid capimus commodi?

A. Primùm, Christus vt in terram, quasi exilium nostra causa descenderat, ita & cœlum, Paternam hæreditatem adiens, nostro nomine ingressus est: *viam atq; aditum illuc nobis patefaciens, ianuamq; cœli, nobis antea propter peccatum clausam, aperiens. Nam cùm Christus caput nostrum, humanam nostram carnem secum in cœlum vexerit, nos corporis sui membra, tam † potens atq; beneuolum caput in terra perpetuò non relinquit. Præterea in conspectu ‖ Dei astans, & nos illi commendans atq; pro nobis intercedens, causæ nostræ patronus existit: quo aduocato, causa non cademus.

*Ioan.14.a.2. 2.Cor.5.a.1 Eph.2.d.18 Heb.10.d.19.20. 22.

†Ephe.1.d.22.23. & 4.c.15.19.& 5. d.23. Col.1.d.18

‖Ioan.16.d.26 Rom.8.f.34 Heb.7.d.25.& 9. g.24 1.Ioan.2.a.1

M. At cur non potiùs in terris hìc nobiscum mansit?

Ioan.14.d.31.& 17.2.4.& 19.f.30.

A. Rebus, quæ illi à † Patre fuerant mandatæ, quęque ad salutem nostram pertinerent, omnibus perfunctus cùm esset, nihil illi opus fuit diutiùs in terris versari. Sed & quæ faceret, si corpore pręsens adesset, ea omnia absens facit, tuetur, iuuat, corroborat, corrigit, coërcet, castigat. Prætereà sacrum Spiritum * suum, vti promisit, cœlo in corda nostra demittit, vt certissimum beneuolentiæ suæ pignus, per quem è tenebris nos atque caligine in lucem vocat, mentium cæcitatem illuminat, mœstitiam ex animis nostris pellit, & illorum vulneribus medetur: efficitq; Diuino † Spiritus sui instinctu, vt cœlum intuentes, mentes animosq; nostros humo excitatos, ab affectionibus prauis, & terrenis rebus sursum, vbi Christus est ad dexteram Patris, erigamus: cogitantes, spectanteśq; supera atque cœlestia, celsi & erecti hæc nostra exigua contemnamus, vitam, mortem, diuitias, paupertates, humanaq; omnia excelso magnoq; animo despicientes. Summa denique illa sit, Christum ad dexteram Dei assidentem, * potentia, prudentia, prouidentia sua mundum vniuersum regere atque administrare, mouere, gubernare, & moderari omnia; eadem vsque facturum, quoad mundi fabrica dissoluetur.

Ioan.14.b.16.& 26.& 16.a.7.c.13. Rom.5.a.5.& 8.b 9.c.16 1.Cor.12.a.4.&c. 2.Cor.1.a.22 Ephe.1.d.17 †Rom.8.a.4.&c. Col.3.a.1.2 Ephe.4.d.22.30

Mat.28.d.18 Luc.1.d.33 Ioan.17.a.2 Ephe.1.d.20.21 Phil.2.b.9.10

M. Quum ergò corpore sublatus in cœlum, suos hìc in terris Christus non destituat, crassè iudicant, qui præsentiam absentiamq; illius solo corpore metiuntur.

A. Sanè.

A. Sanè. Nam res quæ incorporeę sunt, sub sensum cadere non possunt. Quis vnquam suam ipsius animam viderit? Nullus. At quid nobis adest præsentiùs, quid propinquiùs, coniunctiúsue, quàm anima cuiq; sua? Quæ spiritualia sunt, non videntur nisi † oculo spiritus. Christum igitur qui in terris videre vult, aperiat oculos, non corporis, sed animi & fidei, & videbit præsentem, quem oculus non videt. Ioan.3.g.58.& 14.c.21 Gal.3.a.1. Ephe.1.d.18.28

M. At quibus peculiariter & efficacissimè adesse eum prędsentem agnoscit fides?

A. Conspiciet eum fidei acies præsentem, atq; adeò in medio, vbicunq; sunt duo vel tres congregati * in nomine eius: videbit præsentem suis, id est, verè pijs omnibus vsque ad sæculorum omnium exitum. Quid dixi? Christum videbit præsentem: imò & videbit, & sentiet in seipso habitantem quisque pius, haud aliter atq; animum suum proprium. Habitat † enim ac residet in animo eius, qui suam fiduciam omnem atq; spem in eo collocat. Mat.18.c.19.20. & 28.d.20 Ioan.14.b.18.21. Ioan.14.c.23 Ephe.3.b.16.17 Col.3.b.11.

M. Ecquid præterea habes adhuc dicendum?

A. Christus ascendendo, assidendoq; ad dexteram Patris, falsam * illam opinionem, quam aliquando Apostoli † etiam ipsi acceperant, amouit atque ex hominum animis penitùs euellit, quod scilicet, Christus in terris nobis conspicuus regnaturus esset, haud aliter ac reliqui Reges terræ, & principes mundani. Hunc * errorem mentibus nostris eripere, ac de regno suo magis sublimia cogitare nos voluit Dominus: abesse ergò ab oculis, atque Luc.2.a.23.& 17. c.20.21 Ioan.6.b.15. †Mat.20.c.21. Luc.24.b.21 Act.1.a.6 Ioan.18.g.36

omni sensu corporeo voluit, vt ea ratione, fides
Ephe.1.d.18 Col.3.2.1.2 *nostra & excitata & exercitata sit, ad intuendum moderationem & prouidentiam eius, qui corporeo aspectu non sentitur.

M. Ecqua alia ratio est, quare è terris in cœlum se subduxerit?

A. Cùm non vnius alicuius regionis terræ, sed
Mat.38.d.18 1.Cor.15.d.24. 25.27.28 ‡Rom.14.b.9 Phil.2.b.9.10 omnium † terrarum orbis pariter atq; ‡ cœli princeps sit, viuorum pariter atque mortuorum Dominus: par erat, vt clam sensibus nostris regnum suum administraret. Nam si sub aspectum veniret,
†Luc.17.c.20.21. locum atque sedem mutare, huc † & illuc identidem trahi, & nunc in hanc regionem, nunc in aliam migrare eum opus esset, vt suscepta negotia transigeret. Si enim eodem momento temporis vbiq; omnibus præsens adesset, iam non homo, sed spectrum potiùs esse, neq; corpus habuisse verum, sed imaginarium videretur: aut certè quod Eutyches censuit, corpus eius abijsse in Diuinitatem, aut vbiq; esse putaretur. Vnde mille continuò nascerentur opiniones falsæ, quas omnes, corpore integro in cœlum sublato, depulit, animosq; hominum maximis erroribus liberauit. Mundum interim, tametsi nobis non conspicuus summa
Mat.23.d.19 Phil.2.b.9.10 Apoc.11.d.15 *virtute, & sapientia admirabiliter regit atq; administrat. Hominum est, humana quadam ratione Respublicas suas gubernare & moderari: Christi autem, id est, filij Dei, diuina.

M. Attigisti præcipua quędam, ex infinitis & immensis beneficijs, quorum fructum ex Christi morte, resurrectione, & ascẽtione, percipimus: nam

vni-

vniuersa ne mente quidem atque animo humano concipi, nedum verbis atq; dicendo explicari vllo modo queunt. Hactenùs tamen scientiam in hac re tuam experiar, vt mihi prima rerum capita, ad quæ reliqua omnia referuntur, breuiter & summatim describas.

A. Dico igitur, cùm ex his, tum etiam ex alijs Christi actionibus duplicem nos vtilitatem capere. Vnam, quòd quæcunq; fecit, ea omnia nostro commodo fecerit: adeò quidem, vt perinde † nostra sint, modo eisdem firma viuaq; fide inhæserimus, ac si nos ea fecissemus ipsi. Ipse quidem cruci suffixus est, & nos cum ipso in crucem sublati sumus, & nostra in eo peccata sunt punita. Ipse mortuus est & sepultus, nos itidem vnà cum peccatis nostris mortui sumus & sepulti: idq; ita, vt omnis peccatorum nostrorum memoria, sempiterna obliuione penitùs deleatur. Ipse à morte excitatus est, & nos cum eo reuiximus, resurrectionis & vitæ eius sic facti participes, vt nobis deinceps mors non dominetur: est enim idē in nobis * Spiritus, qui Iesū à mortuis excitauit. Postremò, præterquam quòd ab ascensu eius Spiritus sancti † dona cumulatissimè nobis accesserunt, nos secum etiam in cœlum subleuatos, sublatosq; tulit, vt eius quasi possessionem, vnà cum capite nostro occuparemus. Ista quidem non dum apparent, † tamen tum demum hæc omnia proferentur in lucem, cum Christus, qui est lux mundi, in quo spes nostræ omnes atque opes positæ sunt atque defixę, immortali gloria clarus, sese palàm omnibus ostendet.

Esai.9.b.6
1.Cor.15.f.48.49
Ro.6.b.6.7.&c.&
8.f.32.& 13.d.14.
Gal.2.d.20.& 3.
d.27.
Heb.3.c.14.& 10
c.17.
Rom.8.b.11
Ephe.4.b.8
Ioan.8.b.12
Rom.8.c.24
1Cor.1.d.30
Col.1.a.5.& 2.a.
3.&.3.a.4.b.11
1.Pet.1.a.4

M. Al-

M. Alterum illud commodum, quod ex Christi actionibus consequimur, cuiusmodi tandem est?

Ioan.13.b.15
1.Pet.2.d.21
1.Ioan.2.a.6

A. Quod Christus se nobis * exemplar ad imitandum proposuit, ad quod vitam nostram omnem formemus. Christus si mortuus sit pro peccato, si sepultus, id semel perpessus est: si reuixerit, si in cœlum ascenderit, semel tantùm reuixit, semel ascendit: iam non amplius moritur, sed vita sempiterna fruitur, & in summa atq; perenni gloria regnat. Sic † si nos simus mortui, si sepulti peccato,

Ro.6.a.2.3.c.10
Gal.2.d.19.& 5.d.24.
Col.2.d.20.& 3.a.1.
2.Tim.2.b.11.

quomodo posthac viuemus in eodem? Si excitati cum Christo simus, si per certam fidem atq; spem firmam in cœlo cum eo versemur, in cœlestes res, diuinas, æternas, non terrenas, mundanas, & caducas, curas omnes cogitationesq; in posterum

Rom.8.f.20
1.Cor.15.f.47.48 49.

conferre debemus. Et quemadmodum * terrestris hominis hactenus gestauimus imaginem, cœlestis deinceps imaginem induamus: dolores & iniurias omnes eius exemplo placidè & sedatè ferentes, cæteraſq; illius virtutes Diuinas, quoad mortales possunt, imitantes atq; exprimentes. Et cum Christus Dominus nunquam desistat nobis benefacere, patris misecordiam perpetuò nobis exposcere & implorare, Spiritum suum sanctum nobis largiri, Ecclesiam suam amplissimis donis mirabiliter & assiduè exornare: par est nos simili † ratione proximum omni studio iuuare, & arctissimis amoris,

Ioan.13.b.13.& 15.b.12
Ephe.5.a.2
Heb.12.d.14

concordiæ, atq; summæ coniunctionis vinculis, quantum in nobis erit, cum omnibus hominibus astringi: atq; ita nos totos in Christi, velut vnici

Gal.2.d.20.
1.Pet.2.d.21
1.Ioan.2.a.6.

* exempli, mores formari.

M.

M. An non & nostri etiam erga Christum ipsum officij ex his admonemur?

A. Admonemur sanè, vt voluntati † Christi, cuius toti sumus, quemq; Dominum esse nostrum profitemur, obediamus & pareamus: vt Christum seruatorem, qui eam nobis, suis adhuc hostibus, charitatem prestitit, vt ad eius summum erga nos amorem nihil posset accedere, ita ex animo, ita toto vicissim pectore amemus, diligamus, amplectamur, vt Christum nobismet ipsis chariorem habeamus: Christo, qui ita se totum nobis dedit, *nosipsos totos, omniaq; nostra inuicem tradamus: opes, honores, gloriam, patriam, parentes, liberos, coniuges, chara, grata, incundaq; omnia præ Christo vilia, pericula omnia pro Christo leuia habeamus, atque despiciamus: vitam deniq; animamq; ipsam amittamus potiùs, quam Christum, nostrumq; in illum amorem atque officium deseramus. Fortunata enim mors, quæ naturæ debita, pro Christo est potissimùm reddita: pro Christo, inquam, qui sese pro nobis voluntariæ morti obtulit atq; obiecit: quiq; vitæ author, mortuos nos eripere morti, *ac vitæ restituere, & vult, & potest.

Rom.5.b.8.10. 1.Cor.6.d.20. 2.Cor.5.d.15. 1.Thes.5.b.10

Math.10.d.19. 37.& 16.d.25. Luc.9.c.23.24.& 14.f.26. Phil.3.b.7.8.

Math.16.d.35. Marc.8.d.35.

M. Perge.

A. Admonemur præterea, vt Christum Dominum in cœlo iam regnantem, non terrestri † aliquo cultu, impijs traditionibus, & frigidis hominum inuentis, sed cultu cœlesti & ‡ reuera spirituali, qualis & nos qui demus, & illum qui accipiat, deceat

Mat. 15.2.3.6.8.9 Ioan.4.d.21.22. *Ioan. 4.c.23.24.

maximè, purè & castè veneremur: haud aliter atq; ille & honorauit, & honorat Patrem: cùm eadem opera & Patrem pari honore prosequamur. Qui
Ioan.5.d.23. enim honore * Christum afficit, honorat & Patrem: cuius rei ipse certissimus est, & locupletissimus testis.

M. Iam de vltimo iudicio, & mundi fine quid sentias, paucis audire cupio.

Mat.24.c.29.30 & 25.c.31. 1.Cor.15.g.52 1.Thes.4.d.16 *A.* Veniet Christus in † nubibus cœli lumine clarissimo vestitus, cum summa gloria, & augustissima atque maximè verēda maiestate, sanctorum Angelorum comitatu & frequentia stipatus atque circumfusus: & horribili tubæ sonitu, ac classico tremendo, mortui omnes, qui ab orbe condito ad eum vsque diem vixerunt, animis atque corporibus integris excitabuntur: & pro † tribunali illius iudicio sistentur:
Rom.14.b.10.12 1.Cor.4.a.4.5. 2.Cor.5.b.10. vitę suæ rationem, quæ ab incorrupto atque seuero iudice ad veritatem reuocabitur, pro se quisque, reddituri.

M. Verùm, cùm in fine mundi iudicij dies futurus sit, morsq; omnibus sit definita atque constituta, quomodo in Symbolo quosdam tum viuos futuros dicis?

1.Cor.15.g.51 1.Thes.4.d.17 *A.* Diuus Paulus docet eos, qui tunc erunt * superstites, subitò immutandos atque innouandos esse, ita vt deleta corporum † corruptione, ac
†1.Cor.15.c.42 43.g.53.54 Phil.1.d.21. mortalitate abolita, immortalitatem induantur: atque hæc illis mutatio instar mortis erit, quum & corruptæ naturæ interitus, incorruptæ initium futurus sit.

M. An

M. An iudicij huius cogitatione pios percelli, atq; horrore perfundi, illudq; reformidare & refugere oporteat.

A. Minimè: is enim sententiam ferret, qui pro nobis sententia Iudicis damnatus est, ne nos graue Dei iudicium subeuntes condemnemur, sed iudicio absoluamur: is inquam, iudicium pronunciabit, in cuius nos fide atque clientela sumus, quiq; causæ nostræ patrocinium suscepit. Imò singulari quadam * consolatione conscientiæ nostræ sustentantur, & inter medias huius vitæ miserias & ærumnas, gaudijs exultant, quòd Christus semel futurus sit mundi iudex: hac enim maximè spe nitimur, quod tum demum regnum illud immortalitatis & æternæ vitæ, hactenùs tantùm † inchoatum, quod Dei filijs ante iacta mundi fundamenta constitutum atque definitum fuit, omni ex parte plenè & cumulatè perfectum, immutabili æternitate possidebimus. * Impij verò, qui vel Dei iustitiam atque iram non formidarunt, vel eius per Christum clementia, misericordiaq; non sunt confisi, quiq; pios terra, matiq; persequentes, omnibus iniurijs affecerunt, summisq; supplicijs & mortibus crudelissimis mactarunt, cum Satana atque Cacodæmonibus vniuersis in destinatum ipsis inferorum carcerem, impietatis & scelerum vindicem, & tenebras perpetuas conijcientur: vbi scelerum, suorum conscientia, & sempiterno igne, atq; omni summoq; supplicio excruciati, æternas pœnas dabunt, atq; dependent. Nam quod à mortalibus in Dei immortalis immensam, infinitamq; Maiestatem

Rom.8.a.1.c.15 d.23.g.38.39. 1.Cor.1.b.7. Phil.3.d.20. Tit.2.d.13 2.Pet.3.c.12

†Math.25.g.34 1.Cor.13.c.9. 10.&15.f.42.43. g.53.54.

*Math.8.b.12 & 22.b.13.&25 c.30.41. 2.Thes.1.a.6.&c Hc.10.c.26.27. Iud.6.7.8. Apoc.14.b.10 11.& 19.d.20 & 20.c.10.d.14 & 21.c.18

ſtatem peccatum eſt, infinito etiam perpetuoq; ſupplicio dignum eſt.

M. Vltimo iudicio mundi finis coniunctus eſt, de quo apertiùs adhuc explicare te velim.

Mat.24.c.29.30 35. 2.Pet.3.c.10. 11.&c.

A. Mundi finem huiuſmodi futurum eſſe * Apoſtolus commemorat. Cœlum procellæ in morem tranſibit, elementa æſtuantia ſoluentur, terra & quæ in ea ſunt vniuerſa, flamma conflagrabunt: quaſi diceret fore aliquando, vt hic mundus ardore deflagrans, omni ſuo vitio per ignem (vti in auro fieri videmus) excocto, totus repurgetur, atque in abſolutam ſummamq; perfectionem renouetur, faciemq; induat longe pulcherrimam, quæ ſempiternis ſeculorum ætatibus non immutabitur. Hoc enim

2.Pet.3.c.13. eſt quod diuus † Petrus ait: Cœlum nouum, & terram nouam, in quibus iuſtitia inhabitabit, ſecundum promiſſionem Dei expectamus. Neque verò à fide abhorret, vt peccatum, ita & corruptionem

Rom.8.c.19. 22.&c. 2.Pet.3.c.13. Apoc.21.a.1. *Concluſio.* *rerum, atq; mutabilitatem, cæteraq; ex peccato enata mala, aliquando tandem finem eſſe habitura. Atque hæc eſt ſumma ſecundæ partis fidei Chriſtianæ, quâ tota redemptionis noſtræ per Ieſum Chriſtum hiſtoria continetur.

Tranſitio. *M.* Quum ergò de Deo Patre conditore, deq; eius Filio Ieſu Chriſto ſeruatore iam dixeris, id eſt, duas confeſſionis Chriſtianæ partes abſolueris: de tertia nunc libet audire, quid de SPIRITV SANCTO credas.

Tertia pars Symboli, Spiritus ſanctus Mat.28.d.19. Ioan.14.d.26.& 15.d.26.&.16. *A.* Illum tertiam † perſonam ſanctiſſimæ Trinitatis eſſe confiteor, à Patre & Filio ab æterno procedentem,

cedentem, vtriq; æqualem, atque eiusdem prorsus naturæ, vnaq; cum vtroq; adorandum atque inuocandum. b.7.& 20.f.22. Act.5.2.3.4. 1.Ioan.5.b.7

M. Cur Sanctus appellatur?

A. Non tantùm ob suam ipsius sanctitatem, quæ vtique summa est, sed quòd per eum electi Dei, & membra Christi sancta * efficiantur. Qua de causa Diuinæ literæ illum Spiritum sanctificatiouis vocarunt. Rom.1.a.4.& 15 d.16. 2.Th.2.c.13. Tit.3.b.6. 1.Pet.1.a.2.

M. Quibus in rebus hanc sanctificationem constituis?

A. Primùm quidem eius instinctu, afflatuq; Diuino † regeneramur: & idcirco dixit Christus oportere nos ex aqua & Spiritu renasci. Cœlesti itidem eius afflatu, Deus Pater nos sibi Filios * adoptat: vnde non immeritò Spiritus adoptionis est dictus. Illo interprete, † Diuina nobis mysteria aperiuntur: eius lumine, animorum nostrorum oculi, ad ea intelligenda illustrantur: eius iudicio, * vel condonantur, vel reseruantur peccata: eius vi, reprimitur & * domatur vitiosa caro, & cupiditates prauæ coërcentur atque restringuuntur: eius arbitrio, multiplicia ↓ dona in pios distribuuntur. Is in huius vitæ multis varijsq; incommodis, molestijs, atque miserijs, ægritudinem luctumq; piorum, qui ferè sunt in hoc mundo grauissimè afflicti, & quorum dolores omnem humanam consolationem vincunt, arcano solatio suo, & bona spe sedat, lenit, & consolatur: vnde & ↓ Paradeti, id est, consolatoris verum propriumq; nomen sibi asciuit. Eius Ioan.3.a.5. Tit.3.b.5. *Rom.8.c.15. d.23 Gal.4.a.5.6 †Ioan.14.b.17. d.26.& 16.b.13 1.Cor.2.c.10.11 d.13 Eph.1.d.17. *Ioan.20.f.22 †Rom.8.a.4. 5.&c.b.13.14.&c c.26. *Act.2.a.4. 1.Cor.12.a.4 7.&c. Ioan.14.b.16.d 26.& 15.d.26. & 16.a.7.

Rom.8.b.11 denique virtute, corpora noſtra mortalia † reuiuiſcent: breuiter, quæcunq; nobis deferuntur in
1.Cor.12.a.4.7 &c. Chriſto beneficia, ea omnia Spiritus ſancti * opera intelligimus, ſentimus, accipimus. In tantorum ergò donorum authore non immeritò fiduciam atque ſpem collocamus, eumq; colimus, atque inuocamus.

Quarta pars Symboli. Eccleſia.

M. Supereſt iam quarta pars de SANCTA ECCLESIA CATHOLICA, de qua quid ſentias audire velim.

A. In pauca conferam, quæ Scripturæ ſacræ fuſè explicant & copioſè. Antequam cœlum & terras fabricatus eſt Dominus Deus, regnum quoddam ſibi pulcherrimum, & Rempub. ſanctiſſimam habere decreuit: eam Apoſtoli, qui Græce ſcripſerunt,
Mat.16.c.18 * ἐκκλησίαν appellarunt, quæ, vt verbum verbo exprimam, congregatiò dici non ineptè poteſt. In hanc quaſi ciuitatem ſuam adſcripſit Deus infinitam
Mat.28.d.19 Act.2.a.2.9. 1.Cor.12.b.13 *Ephe.5.d.23.24 † hominum multitudinem, qui omnes vnico ſuo Regi Chriſto * pareant, & dicto audientes ſint atque obedientes, qui ipſius ſeſe tutelæ commendarunt, & quorum ipſe patrocinium ſuſcepit, eoſq; perpetuò tuetur & conſeruat. Ad hanc Rempub.
Act.10.c.34.35 Rom.2.b.11. Gal.6.d.15.16 Col.3.b.11.12 &c. propriè pertinent, quotquot ↓ verè timent, honorant, & inuocant Deum, prorſus applicantes animos ad ſanctè pieq; viuendum: quiq; fiduciam atque ſpem omnem in Deo conſtituentes, vitæ æternæ beatitudinem certiſſimè expectant. Qui autem ſunt in hac fide firmi, ſtabiles, atque conſtantes, hij † electi atq; deſignati, & (vt nos loquimur) prædeſtinati erant ad hanc tantam fœlicitatem,

†Mat.16.c.18. Ro.8.c.29.30 Ephe.1.a.4.5 Col.2.b.12 Tit.1.a.1

ante

ante posita mundi fundamenta: cuius rei testem * ipsi intùs in animis habent spiritum Christi, fiduciæ huius authorem, pariter & pignus certissimum. Cuius Diuini spiritus instinctu, mihi etiam certissimè persuadeo, meipsum quoque beata hac ciuitate, Dei per Christum beneficio, gratuitò donatum esse.

Rom.8.b.9.c.15. 16. 2.Cor.1.d.22.& 5.2.5. Ephe.1.c.13.14 & 5.d.30.

M. Pia sanè & planè necessaria persuasio. Ecclesiæ ergò quam dicis, definitionem mihi cedo.

A. Breuissimè verissimeq; dixerim, ECCLESIAM ESSE CORPVS † CHRISTI.

1.Cor.12.d.27 Eph.1.d.23.& 5 d.22.23 Col.1.c.18.d.24.

M. At paulò adhuc explicatiùs velim.

A. Ecclesia est * corpus Reipub. Christianæ, id est, vniuersitas societasq; fidelium omnium, quos Deus per Christum ad † vitam perpetuam ab æterno tempore destinauit.

*Rom.12.b.6 1.Cor.12.b.12. &c.c.20.d.26 2.Cor.1.d.22. Ephe.3.b.9. †Mat.25.c.34. Ephe.1.a.4.5.

M. Quorsum hoc caput in Symbolum inseritur?

A. Quia nisi Ecclesia esset, sine causa tum Christus fuisset mortuus, tum ea, quæ vsque adhuc relata sunt, omnia frustrà essent, atq; ad nihilum reciderent.

M. Quid ita?

A. Quia hactenùs salutis causas tractauimus, eiusq; fundamenta contemplati sumus, quomodò videlicet, Christi merito nos amet Deus, charosq; habeat: quomodò item, hanc Dei gratiam, in quam sumus restituti, Spiritus sancti opera retineamus. At horum hic vnus effectus est, vt sit * Ecclesia, id est, cœtus piorum apud quos hæc Dei beneficia collo-

Mat.16.e.18. Act.20.f.28. 1.Cor.12.b.12 &c.& 14.c.12. 2.Cor.11.f.28. Ephe.3.b.10.11 d.21.& 5.d.25 1.Tim.3.d.15.

collocentur: vt sit Ciuitas & Respub. quædam beata, in qua nostra omnia ponere & quasi consecrare, & cui nos totos dedere debeamus, & pro qua mori non dubitemus.

M. Ecclesiam hanc cur Sanctam appellas?

Rom.8.c.29.30 1.Cor.14.f.33. Ephe.1.a.4.5 b.11.

A. Vt hac notione ab impiorum † nefario cœtu discernatur. Quoscunq; enim Deus elegit, in vitæ eos sanctitatem atque innocentiam restituit.

M. Est ne hæc, quam Ecclesiæ tribuis, sanctimonia integra iam, atque omni ex parte perfecta?

Rom.8.f.26. 1.Cor.13.c.9.11 12. 2.Cor.12.b.5.9

A. Nondum. Quoad enim mortalem in hoc mundo vitam agimus, quæ est imbecillitas * fragilitasq; humani generis, infirmis viribus sumus ad omnia omnino vitia declinanda. Est ergò Ecclesiæ sanctitas nondum quidem expleta & perfectè absoluta, præclarè inchoata tamen. Verùm quum Christo, à quo illi omnis accedit * mundities, atq; puritas, plenè coniuncta fuerit, tum demum innocentiam & sanctitatem omnibus suis partibus expletam, & perfectè absolutam, vt vestem quandam niueam puriſſimamq;, induetur.

1.Cor.13.c.10.13 & 15.g.53. Ephe.5.d.26. Apoc.19.b.8.& 21.2.2.c.10.& c.g.27.

M. Quorsum tandem Ecclesiam hanc Catholicam nominas?

Mat.28.d.19 Act.2.a.5.9.& 10.c.34.35 1.Cor.12.b.13. 14.

A. Perindè est, ac si vniuersalem dicerem: non est enim hic cœtus, conciliumq; piorum, certo quopiam vno loco, aut tempore astrictum: sed fidelium, qui ab orbe condito, omnibus locis, atque seculis vixerunt, victuriq; sunt, vniuersitatem continet atq; complectitur: vt vnum sit Ecclesiæ corpus, sicuti

*sicuti vnus est Christus, vnicum corporis caput. Cùm enim Iudæi ecclesiam Dei, vt populo suo peculiarem, & quasi gentilitiam sibi assumerent, & vendicarent, & suam dicerent, ac suam tantùm esse confirmarent: Christiana fides profitetur * ingentem piorum hominũ numerum multitudinemq; infinitam, ex omnibus terrarum orbis regionibus, ex omnibus omnium vbique gentium partibus, ætatibusq; sæculorum, sacri verbi, vocisq; suæ vi & potestate, atque cœlestis Spiritus diuino instinctu collectam, in hanc Ecclesiam, quasi ciuitatem suam, à Deo ascriptam esse: qui omnes vna † vera fide, vna mente, voceq; consentientes, vnico suo regi Christo, vt membra * capiti, per omnia pareant.

Math.8.b.11. Ephe.1.d.22.23 & 2.c.12.13.14. &c.& 4.a.4.5.&c Colo.1.c.18.

*Act.1.b.8.& 2.2.b.8.9.& 10.c 35. Col.3.b.11.&c.

Ephe.4.a.4.5.& 5.d.23.

*1.Cor.6.c.15 Ephe.4.c.15.16 & 5.g.30. Colos.1.c.18.

M. An ergò rectè quosdam huic Christianæ fidei parti adiungere existimas, se credere sanctam catholicam Romanam ecclesiam?

A. Eos non solùm alienum huic loco sensum affingere arbitror, dum nullum in Ecclesia Christi nisi qui Romani pontificis decreta edictaq; omnia sacrosancta habeat, censeri velint: verùm etiam, dum vniuersitatem Ecclesiæ, quam ipsi vbiq; terrarum & gentium longè lateq; diffusam esse primùm confitentur, posteà nomine vnius gentis oppositi, contrahunt, & in angustum adducunt, haud paulò ampliùs, quàm Iudæos insanire iudico: vt qui contraria, & inter se pugnantia vno spiritu voluant, & pronuncient. Verùm ad hanc eos insaniam adegit cœca cupiditas, studiumq; Romanum pontificem Ecclesiæ in terris caput in locum Christi,

ſupponendi atque ſubſtituendi.

M. Iam id ex te audire velim, cur ſanctæ Eccleſiæ catholicæ ſtatim adiungas, nos CREDERE SANCTORVM COMMVNIONEM.

A. Quia hæc duo eodem pertinent, & ſunt inter ſe apta admodum atque conuenientia. Hæc enim pars eam, quæ eſt inter Eccleſiæ membra, coniunctionem ſocietatemq́; qua nulla proprior eſſe poteſt clariùs adhuc exprimit. Nam quum Deus per vniuerſas terrarum regiones atque oras, vt & per omnes ætates atq; ſecula, habeat, qui ſe purè caſteq; venerentur: hij † omnes, licèt diuerſis, & longinquis temporibus, atque locis ſeparati ſint atq; diſtracti, vbicunq; gentium, vbicunque terrarum fuerint, vnius tamen ſunt, eiuſdemq́; corporis, cuius caput Chriſtus eſt, membra inter ſe quàm maximè connexa atq; cohærentia. Ea eſt pijs hominibus & cum Deo, & inter ſe communitas. Spiritus * enim, fidei, ſacramentorum, precum, remiſſionis peccatorum, & æternæ fœlicitatis, omniúmq; adeò beneficiorum, quæ Deus Eccleſiæ per Chriſtum largitur, communitate ſunt inter ſe coniunctiſſimi. Quin & concordiæ, † atq; amoris inter ſe vinculis arctiſſimis ita ſunt aſtricti, ita vnum eſt omnibus propoſitum, vt eadem ſit vtilitas vniuſcuiuſq; & vniuerſorum: & in id maximè ſtudium incumbant, quomodo beneficijs vltrò citróq; datis, atque acceptis, ſeſe mutuò cum ad alia omnia, tum præcipuè ad beatam illam æternámq; vitam, conſilio atque auxilio iuuent. Verùm quia hæc ſanctorum communio neque ſenſibus noſtris, neque

Cor.12.b.12.13. &c.c.20.d.26.
Eph.4.c 15.16.& 5.d.30.
Col.1.c.18.& 2 d.19.
Ephe.4.a.3.4.5. &c.c.15.16.
Col.2.d.19.
Mat.7.b.12.& 22 d.39.
Ioan.15.13.d.34 35.
Rom.12.b.5. 1.Cor.10.f.24.& 13.b.5. 2.Cor.11.g.28 Gal.c.2.2.
Phil.2.a.1.2.3.4 5.

*naturali

* naturali atque insita in nobis notione, aut intelligentiæ vi aliqua, vt aliæ ciuiles communitates, societatésq; hominum percipiatur: meritò inter ea, quæ creduntur, hoc loco posita est. 1.Cor.2.d.14.15

M. Breuis hæc tractatio de Ecclesia, collocatisque apud eam Dei per Christum beneficijs, vehementer mihi placet: eadem enim clarissimè in Sacris scripturis docentur. Verùm potéstne Ecclesia aliter cognosci, quàm quum fide creditur?

A. Hîc quidem in Symbolo propriè agitur de eorum congregatione, quos Deus arcana † electione per Christum sibi adoptauit: quæ Ecclesia nec oculis cerni, neque ex signis cognosci perpetuò potest. Est tamen & visibilis seu spectabilis Dei Ecclesia, cuius nobis indicia notásq; ostendit atque patefacit. Rom.8.c.29.30. 33. Ephe.1.2.4.5.b 11. Col.3.b.12

M. Quò ergò tota hæc Ecclesiæ tractatio clarior fiat, visibilem illam Ecclesiam, ita mihi suis notis signisq; describe, & quasi depinge, vt ab alia quauis hominum societate discernatur.

A. Experiar quomodo quàm optimè id possim præstare. Visibilis Ecclesia non est aliud, quàm certa quędam multitudo hominum, qui in quocunq; loco sint, puram & synceram * professionem doctrinam Christi: illam ipsam videlicet, quam Euangelistæ atque Apostoli Sacrarum literarum sempiternis monumentis fideliter memoriæ prodiderunt: quiq; Deum Patrem † Christi nomine verè inuocant: vtuntur prętereà eius mysterijs, * quæ vsitato nobis vocabulo Sacramenta appellantur, eadem pu- *Ecclesia Visibilis describitur.* Esa.55.b.11. Mat.10.b.14.& 18.d 19.20.& 28 d.19. Luc.24.c.47 Ro.10.b.8.9. 2.Timo.1.c.10 †Ioan.14.b.13.& 15.c.16.& 16.c. 23. *Mat.28.d.19. 1.Cor.11.c.23

ritate, & simplicitate (quod ad ipsorum naturam attinet) qua vti sunt, & literis consignarunt Apostoli Christi.

M. Visibilis ergò Ecclesiæ notas esse dicis Euangelij, id est beneficiorum Christi, prædicationem, inuocationem, & sacramentorum administrationem synceram.

A. Sunt hæ quidem Ecclesiæ visibilis notę præcipuæ & planè necessariæ: vt sine quibus ne Ecclesia quidem Christi esse, dicue rectè possit. Sed & in eadem Ecclesia, si probè instituta fuerit, certus gubernationis * ordo & modus, disciplinæq; Ecclesiasticæ ea ratio obseruabitur, ne impunè liceat cuiquam, qui in illo grege versatur, publicè quicquam impiè, flagitioseue vel dicere, vel facere: adeoq; vt omnes prorsus offensiones, in illa hominum congregatione, quoad eius fieri potest, omnino vitentur. Verùm labente paulatim iam olim hac disciplina, vt sunt hodie corrupti, deprauatiq; omnium mores, maximè verò diuitum atque potentum, qui peccatorum, adeóq; scelerum omnium impunitatem, atq; summam licentiam habere volunt, censoria animaduersio, & castigatio teneri in Ecclesijs vix iam potest. In quocunque cœtu tamen verbum Dei, eiúsq; inuocatio, & sacramẽta purè & syncerè retinentur, non est dubium, quin ibi etiam sit Ecclesia Christi.

Mat.18.c.15.16 17.
1.Cor.4.d.21.& 10.g.31.32.& 14 c.26.g.40.
Phil.2.b.14.15
1.The.5.c.14.d. 22.
2.The.3.d.14. 15,
Colo.2.2.5
1.Tim.2.c.8.9.&c & 3.2.1.2.
Tit.2.2.3.4.&c. &3.c.10.

M. An non omnes ergò in hac visibili Ecclesia sunt ex electorum ad vitam æternam numero?

A. Multi per hypocrisin, & simulationem pietatis,

tis, in hanc se societatem adiungunt, qui nihil minùs quàm vera Ecclesiæ membra sunt. Verùm, quia vbicunq; verbum Dei syncerè docetur, & sacramenta ritè administrantur, ibi perpetuò sunt aliqui ad *salutem per Christum designati, totum illum cœtum Ecclesiam esse Dei censemus: quum & Christus sese, vel duobus † aut tribus, qui suo nomine congregati fuerint, adfuturum polliceatur. Esa.55.b.11. Act.13.g.48. Mat.18.c.20.

M. Cur Ecclesiæ, REMISSIONEM PECCATORVM subiungis?

A. Primùm, quia* claues, quibus cœlum & claudendum est, & reserandum, id est, potestas illa ligandi & soluendi, reseruandi atque remittendi peccata, quæ in verbi Diuino ministerio sita est, Ecclesiæ per Christum delata, atq; permissa, ad eam propriè pertinet: deinde quia nemo remissionem peccatorum consequitur, qui non sit verum corporis* Christi membrum: id est, qui communem Ecclesiæ consociationem studiosè, piè, sanctèq;, perseueranter etiam, † atque ad vltimum non colat, & tueatur. Math.16.c.19.& 18.c.18. Luc.24.c.47. Ioa.20.f.23. Ioa.15.a.4.6 Col.2.d.19. Mat.24 b.13.

M. Nullane ergò salutis spes extra Ecclesiam?

A. Extra eam nihil nisi damnatio, exitium, atque interitus esse potest. Quæ enim potest* membris à capite corporeq; auulsis, abscissisue, vitæ spes superesse? Qui ergó discordiam † in Ecclesia Dei seditiosè concitant, diffidiumq;, & dissentionem in ea faciunt, factionibusq; eam perturbant, iis donec in concordiam atq; gratiam cum Ecclesia redeant & reuertantur, spes omnis salutis per peccatorum Ioan.15.a.4.6 Col.2.d.19. 1.Tim.3.d.15 †.Ro.2.b.8.9. 1.Cor.1.b.11.& 3.a.3. 1.Tim.1.a.4.6 2.Tim.2.c.16 d.23. Tit.3.c.6.10.11

remissionem præciditur.

M. REMISSIONIS nomine quid significas?

Psal.32.1.2. Ioan.3.c.16.17 Act.13.f.38.& 26.d.18. Rom.3.d.27 Ephe.1.b.7 Col.1.c.13.14

A. Liberationem culpæ, erratiq; veniam fideles à Deo impetrare. Deum enim gratuitò * propter Christum peccata ipsis condonare, eosq; iudicio & damnatione, iustisq;, & sceleri debitis supplicijs eripere & liberare.

M. An non ergò pijs officijs atque operibus Deo satisfacere, & peccatorum veniam ipsi mereri possumus.

A. Nulla meritis nostris debetur misericordia: sed Deus animadversionem suam & supplicium, quo in nos vsurus erat, Christo remittit & condonat. Solus enim Christus perpessione dolorum, † & morte sua, qua pœnam scelerum nostrorum dependit atque persoluit, Deo satisfecit: per solum ergò Christum receptum ad Dei gratiam habemus. Nos ex gratuita * eius liberalitate atq; benignitate beneficium hoc accipientes, nihil habemus, quod præmij aut compensationis nomine, ipsi vicissim offeramus aut reddamus.

Esa.53.a.4.5.b.8 d.12 Rom.5.b.8.10 Col.1.c.20.21 2.Tim.1.c.10. He.9.d.14.15 *Rom.3.d.24.25. 27.28. Gal.2.c.16.

M. Nihilne omnino pro nostra parte faciendum, vt veniam peccatorum impetremus?

A. Tametsi inter homines concesso peccato, difficile est ab eo, qui peccatorum vindex esse debet, vt ignoscat impetrare: confessionem tamen erranti medicinam quandam esse, ne à pietate quidem nostra † alieni ignorarunt. Et pœnitentia, quam resipiscentiam quidam malunt appellare, atq; consilij mutatione peccatoribus opus esse ad veniam impe-

Confessio.

†Cic. *Pœnitentia.*

impetrandam, iam antè dictum est, & peccatoribus se veniam daturum, Dominus promittit, si eos pœniteat, † si resipiscant, animosq; à vitæ prauitate ad ipsum conuertant. Iere.18.b.8. Ezec.18.d.21.e 30.31.32.& 33.c 14.

M. Quot sunt pœnitentiæ partes? Mat.4.c.17. Luc.5.f.32,

A. Duæ præcipuæ. Veteris hominis, siue carnis mortificatio: & Noui hominis, siue Spiritus viuificatio. *Partitio.*

M. Apertiùs ista planiusq; explicari velim.

A. Veteris hominis mortificatio, est agnitio, * confessioq; peccati ingenua atque syncera, tum animi pudor atque dolor, cuius sensu, quòd à iustitia aberrarit, & Dei voluntati minùs obsequens fuerit, grauiter afficitur. Debet enim vnusquisq; antè actæ vitæ peccata recordans, sibi totus * displicere, sibi succensere, acrem se vitiorum suorum iudicem præbere, & ipse de se sententiam ferre, & iudicium pronuntiare, ne irati Dei graue iudicium subeat. Hunc dolorem, quidam Contritionem appellarunt, cui peccati odium acerbum, amissæq; iustitiæ amor & desyderium, propinquitate atq; natura coniuncta sunt. *Confessio.* Psal.32.a.3.4.5. & 51.a.3.4. Prou.28.c.13. 1.Ioan.1.d.8.9. † Psal.6.b.6.7. & 31.b.9.10.&38 a.3.4.6.b.8.9.10 c.17.18.& 51.c 17.& 102.a.4.5 1.Cor.11.g 31 2.Cor.7.c.9.10 11. *Contritio. Odium peccati.*

M. At tanta esse potest scelerum conscientia, & pœnitendi vis, vt circumfuso vndiq; pauore, hominis animum salutis desperatio occupet.

A. * Verum id quidem est, nisi doloris magnitudini consolationem Deus adhibeat. Sed pijs superest adhuc altera illa pars resipiscentiæ, quæ † spiritus renouatio, siue noui hominis viuificatio dicitur. *Amor Iustitiæ.* Gene.4.b.13 Mat.27.a.3.4. 2.Cor.2.b.6.7.8 †Eph.4.d.23.24. 1.Pet.4.b.6

Ea est, cùm fides accedens animum ita affectum * recreat subleuatq;, dolorem leuat, & consolatur, à desperatione ad spem veniæ, à Deo per Christum impetrandæ, & à limine mortis, atq; ab inferis adeo ipsis, ad vitã reuocat, atq; erigit. Atque hoc est, quòd REMSSIONEM PECCATORVM NOS CREDERE profitemur.

Mat.4.c.17. Luc.7.f.38.g.47 48.50.&.15.d.18 21.& 18.c.13.& 24.c.47. Act.2.f.37.& 3.d. 19.&.16.f.30.31 1.Tim.1.c.15.16. Psal.23.a.3.&.30 b.10.& 51.b.7.&c & 88..a.3.b.7.c 15.

M. An homo hoc metu, atq; hijs difficultatibus suis se viribus liberare potest?

A. Nihil minùs. Solus enim Deus est, * qui diffidentem rebus suis confirmat, afflictum erigit, perditum recreat, & quo duce hanc quam dixi spem, mentem, voluntatemq; peccator suscipit.

Act.11.c.18. 2.Cor.1.a.3.4 2.Thes.2.d.16.17 2.Timo.2.d.25

M. Iam quod superest in Symbolo, recita.

A. CREDO RESVRRECTIONEM CARNIS, * ET VITAM ÆTERNAM.

M. De his, quoniam in explicando vltimo iudicio antea nonnihil attigisti, pauca tantùm à te percontabor. Quorsum tandem, aut cur ista credimus?

Mat.22.c.31.32 Ioan.11.c.25 1.Cor.15.toto

A. Tametsi animos hominum immortales, sempiternosq; esse credamus, tamen si corpora nostra interitu omnino delenda fore putaremus, mentibus * concideremus prorsus, vt qui solido gaudio & æuo sempiterno integri, altera nostri parte desiderata nunquam fueremur. Nõ animas ergò solùm nostras, quum ex hâc vita migramus, admistione corporum liberatas, puras & integras statim † in cœlum ad Christum euolare, certò credimus, verùm etiam corpora nostra † in meliorem vitæ statum restituta, suis tandem animis rursum coniungenda,

1.Cor.15.c.14.17 18.19.

Luc.16.c.22.& 23 f.43. †Rom.8.b.11 1.Cor.15.f.42.43. 44.g.53.54

da, totosq; nos perfectè atq; absolutè beatos efficiendos: hoc est, tam corporibus, quàm animis nostris, æternitate, immortalitate, vitáq; longè beatissima, quæ perpetuis seculorum ætatibus non immutabitur, fruituros esse, nihil profectò dubitamus. Phil.3.d.21. 1.Thes.4.c.13.14 d.15.16.17

Hæc spes nos in miserijs * consolatur, hac spe pręditi, non solùm incommoda & difficultates, quibus in hac vita afficimur, sed vitæ commutationem, ac mortis dolores toleranter patimur & sustinemus. Mortem enim, non interitum omnia tollentem, atq; delentem, sed ducem nobis in cœlum esse, quæ nos in viam placatæ, tranquillæ, beatæ, sempiternæ vitæ deducat, persuasissimum habemus. Et proinde ex corporum vinculis tanquam ex carcere, ad cœlum quasi communem vrbem & ciuitatem Dei atq; hominum, alacres lętiq; excurrimus atq; euolamus. Ioan.11.c.25 1.Cor.15.g.58 1.Thc.4.c.13.14 18. Apo.14.d.13 2.Cor.5.a.1.2. Ephe.2.d.19.

M. Ecquid prætereà conducit ista credidisse?

A. Admonemur ne rebus incertis, fluxis, & caducis nos impediamus, aut implicemus: ne ad terrenam gloriam aut fœlicitatem spectemus: sed mundum hunc * vt inquilini, & de migratione perpetuò cogitantes, incolamus: ad cœlum & cœlestia aspiremus, vbi beati æuo sempiterno fruemur. Heb.13.c.13.14. 1.Pet.1.d.11.

M. Cùm impios conditione à pijs longissimè † diuersa, ad miseriam æternam videlicet, sempiternamq; mortem resuscitandos esse anteà docueris, cur Symbolum vitæ duntaxat æternæ, inferorum verò mentionem nullam facit? Mat.25.c.34.d. 41.46.

A. Fidei hæc est Christianæ confessio, quę non

Mar.16.d.16 Luc.24.e.47. Ioan.3.c.15.16 Rom.4.c.16

nisi ad pios pertinet: & proinde ea tantùm recensetur, quę sunt ad consolandum * accommodata, amplissima nimirum prędmia, quibus suos Deus donabit. Impios ergò à regno Dei alienos quæ maneant supplicia, non commemoratur.

M. Explicato iam Symbolo, id est, summa fidei Christianę, dic mihi quid commodi ex hac fide comparamus?

Rom.21.22.c.3 Gal.2.c.16.

A. Iustitiam † coram Deo, per quam hęredes vitę æternę instituimur.

M. An non ergò pietas erga Deum nostra, ac vita inter homines honestè sanctęq; acta, iustos coram Deo nos efficit?

Pag.40.

A. De hoc quędam † superiùs post explicatam legem, & alibi etiam, in hanc ferè sententiam diximus. Si quisquam ad prędscriptam normam * iuris diuini integrè viuere posset, is merito iustus ex operibus bonis censeretur: verùm cùm ab ea vitę perfectione longissimè absimus † omnes, adeoq; peccatorum nostrorum conscientia opprimamur: * alia nobis ineunda ratio, & via reperienda est, qua nos Deus in gratiam recipiat, quàm nostro merito.

Rom.8.23.& 10 a.5. Gal.3.b.12 Gen.6.b.5.&8. d.11. Luc.18.c.11.12. 14. Rom.7.c.14.15. & 8.a.3. Gal.2.c.16. *Rom.11.a.6

M. Quę tandem quęso?

Luc.18.c.11.12. &c. Rom.3.c.24.&.4. a.4.7.d.16 Ephe.2.a.4.5. 2.Tim.1.b.9. Tit.3.b.4.5. 1.Pet.1.a.3.&2 b.10.

A. Ad Dei † misericordiam confugiendum est, qua gratis nos in Christo, nullo nostro merito nec operum respectu, amore, & beneuolentia complectitur: tum peccata nobis nostra condonans, tum iustitia Christi per fidem in ipsum ita nos donans,

nans, vt ob eam, perindè ac ſi noſtra eſſet, ipſi accepti ſimus. Diuinæ ergò per Chriſtum clementiæ iuſtitiam noſtram omnem acceptam ferre debemus.

M. Vnde iſta ita eſſe intelligimus?

A. Ex Euangelio, quod Dei per Chriſtum promiſſiones continet, * quibus dum fidem, id eſt, certam animi perſuaſionem, & ſtabilem beneuolentiæ Diuinæ fiduciam, qualis iam per totum Symbolum eſt deſcripta, adiungimus, in huius, quam dico iuſtitiæ poſſeſſionem pedem, quodammodo ponimus. Rom.4.b.9.11.14 16.d.20.24. Gal.2.c.16.d.20. & 3.b.11. Heb.10.g.38.

M. Non ergò inter huius iuſtitiæ cauſas fidem principem locum tenere dicis, vt eius merito nos ex nobis iuſti coram Deo habeamur?

A. Nequaquam: id enim eſſet fidem in Chriſti locum ſubſtituere. Verùm huius iuſtitiæ fons * eſt Dei miſericordia, quæ in nos per Chriſtum deriuatur: per Euangelium verò nobis offertur, † & à nobis fide, quaſi manu prehenditur. Ephe.1.2.4.5 6.&c.& 2.2.4. Tit.3.b.4.5.6. †Mar.1.b.14. Rom.4.c.16.d. 19.20.21.24.

M. Fidem igitur non cauſam, ſed inſtrumentum eſſe iuſtitiæ dicis, quòd ſcilicet Chriſtum, * qui eſt iuſtitia noſtra, amplectitur, tam arcta nos coniunctione cum illo copulans, vt omnium eius bonorum participes faciat. Ioan.1.2.12 Rom.3.d.22. 1.Cor.1.d.30 Heb.9.d.14

A. Sic eſt.

M. Verùm an à bonis operibus ita ſeparari hæc iuſtitia poteſt, vt qui hanc habet, illis careat?

A. Nequaquam: fide enim Chriſtum, qualem ſe

nobis offert, accipimus: ipſe verò non modò à peccatis & morte nos liberat, & cum Deo in gratiam
Rom.8.a.1.&c.b 9.10.12.13. reducit, ſed & Spiritus *ſancti diuino afflatu & virtute, ad ſtudium innocentię atque ſanctitatis, quam
†Rom.6.a.4. vitæ † nouitatem appellamus, regenerat, atque reformat.

Rom.5.a.1.2 1.Cor.13.a.2. Eph.3.c.17. Iacob.2.d.20 1.Pet.1.d.19 20.21.22. *M.* *Iuſtitiam ergò, fidem, ac bona opera, natura cohærentia eſſe dicis, quæ proinde non magis distrahi debeant, quàm Chriſtus illorum in nobis author, à ſeipſo diuelli poſſit?

A. Omninò.

M. Hæc igitur fidei doctrina, hominum voluntates ab operibus officijsq; pijs nequaquam alienat.

Pſal.1.a.3. Mat.7.c.17.18 & 12.d.33.35. Rom.11.b.16 Ephe.3.c.17 Col.1.a.6.7. Tit.3.b.8. †.Rom.6.a.1.2.3. 4. Gal.5.a.6. *A.* Nihil minùs. Nam opera bona fide, * vt radice ſua nituntur: tantum ergò abeſt, vt à vita integrè agenda animos noſtros fides retardet, vt contrà ad eius ſtudium maximè incitet: adeòq; verè fidelis non ſit, qui non & vitia pro virili † declinet & virtutes ſtudioſè amplexetur: ita ſemper viuens, vt rationem ſibi reddendam arbitretur.

M. Ergò explicatè mihi, quomodo opera noſtra Deo accepta ſint, & quibus donentur præmijs, edifſere.

Deut.4.a.1.2.& 5.d.31.32.& 12.c 32. †Mar.7.b.6.7.8. 9.&.10.c.17.19 Ioh.14.b.15.c. 21.23.&.15.b.10 †Rom.9.f.31.32 &.14.d.23. Heb.11.b.6. *A.* In operibus bonis duo præcipuè requiruntur. Primum, vt ea opera, * quæ lege Diuina præſcripta ſunt, deinde vt ea mente atque † fide quam Deus exigit, à nobis ſuſcipiantur. Nullę enim vel actiones, vel cogitationes ſine fide ſuſceptæ, Deo placere poſſunt.

M. Perge

M. Perge.

A. Constat ergò omnia opera, quæcunq; facimus antequam renati* sumus, Deiq; spiritu renouati, quæ propriè nostra dici possunt, vitiosa esse. Qualemcunq; enim speciem splendoris & dignitatis præ se ferant, præbeantq; oculis hominum: quum è prauo corruptoq; † corde, quod Deus maximè spectat, manent & proficiscantur, non nisi inquinata contaminataq; esse, & Deum proindè grauiter offendere possunt. Huiusmodi igitur opera vt malos fructus, *ex arbore mala editos, aspernatur Deus, atq; à se reijcit.

Ioh.3.a.3.4.5.6 Rom.9.f.31.32. Ephe.2.a.3. 1.Pet.1.d.22.23 †Rom.8.a.5.6.7 1.Cor.1.c.19.20 & 3.d.19. 2.Cor.1.c.12 Mat.7.c.18.19.& 12.d.33.35.

M. Nullis ergò operibus, aut meritis Deum antecuertere possumus, quibus illum ad beneuolentiam, beneficentiamq; priores prouocemus?

A. Nullis planè. Nam nos Deus non solùm quum inimici eius essemus, † id est, peccatores, sed & ante mundi iacta fundamenta in Christo dilexit, atq; elegit. Et hic est ille, quem dixi, iustitiæ nostræ fons atque origo.

Rom.5.b.8.10.& 11.c.35. 1.Ioan.4.b.9.10 d.19. Ephe.1.a.4.

M. De illis verò operibus, quæ iam in gratiam apud Deum positi, spirituq; sacri instinctu facimus, quid censes?

A. Debita pietatis officia, quæ ex fide, *per charitatem operante proficiscuntur, Deo quidem grata sunt, non tamen ipsorum merito, *sed quòd ille suo fauore ea liberaliter digneur. Nam tametsi à Diuino afflatu, vt à fonte riuuli deducantur, ex *carnis tamen nostræ, quæ sese in agendo admiscet, quasi contagione vitium concipiunt: haud se-

Rom.12.a.1. Galat.5.a.6. †Luc.17.c.10.& 18.c.11.12.14. *Esa.64.b.6. Rom.7.c.14.15. 17. Gal.5.c.17.

cùs, ac riuus alioqui purus & limpidus, cœno, limoq́, per quod fluit, turbatur atq; inficitur.

M. Quomodo ergò ea Deo placere affirmas?

Ro.9.f.31.32. Gal.5.a.6. Heb.11.b.6. †Psal.130.a.3 & 143.a.2.

A. Fides * est, quæ Dei gratiam operibus nostris conciliat, dum pro certo habet, eum summo nobiscum † iure acturum non esse, neque facta nostra quasi ad calculos vocaturum, aut exacturum ad perpendiculum: id est, in illis æstimandis expendendisq; nō adhibiturum seueritatem, sed omni eorum vitiositate Christo eiusq; meritis remissa atq; condonata, pro perfectè absolutis esse habiturum.

M. Persistis ergò in eo, non posse nos operum merito consequi, vt iusti coram Deo habeamur, quum actiones humanas vel perfectissimas venia indigore existimes.

Luc.18.c.11.12 14. Rom.4.a.2 Gal.2.c.16 †Rom.3.c.20

A. Deus ipse in verbo suo ita statuit: eiusq; sacer spiritus nos instituit, vt precemur, ne * in iudicium nos adducat. Nam quum iustitia Deo iudici probāda, perfectè † absoluta atque expleta omnibus suis partibus & numeris esse debeat, vt quæ ad acerrimā Diuinæ legis iudicijq; normam, & quasi ad perpendiculum dirigenda simul atq; exigenda sit: opera verò nostra vel * optima, quum à Diuini iuris iustitiæq; regula, atque præscripto longissimè aberrent, atque absint, multisq; modis & culpanda sint & damnanda, operibus iustificari coram Deo nulla omnino ratione possumus.

*Psal.143.a.2 †Iob.4.d.18.& 15.b.14.15.16.& 25.b.4.5. Psal.130.a.3 *Iob.15.b.14.15 16.& 25.b.6 Esa.64.b.6. 1.Cor.1.a.4.

M. Annon hæc doctrina hominum animos ab officijs pietatis abducit, & ad bona opera segniores atq; tardiores efficit, aut minùs certè alacres promptosq;

ptósq; ad pia studia reddit?

A. Nequaquam: neq; enim proinde inutilia esse, & frustra, aut sine causa fieri bona opera dicemus, quòd iustitiam per illa non consequamur. Nam & in proximi commodum, * & in Dei gloriam cedunt: & de Diuina erga nos beneuolentia, nostráq; vicissim in Deum charitate & fide, atque ita de salute nos nostra, quasi testimonijs quibusdam † certiores faciunt. Et æquum omnino est, vt Christi filij Dei sanguine redempti, & innumeris præterea atq; immensis Diuinis beneficijs affecti, ad redemptoris * arbitrium atque nutum viuentes, & nos totos accommodantes, memores nos, gratósq; erga salutis nostræ authorem præbeamus, aliósq; illi † exemplo nostro acquiramus atq; lucrifaciamus. Ista recogitans aliquis, pijs suis studijs operibúsq; satis lætari potest.

Mat.5.b.16 1.Pet.2.c.12.
Mat.12.d.33. Phil.2.b.12 1.Pet.1.c.10
*Rom.14.b.7.8 1.Cor.6.c.19 2.Cor.5.c.15 1.Thc.5.b.10
†Mat.5.b.16 1.Pet.2.c.12

M. At præmijs tamen tum in hac vita, tum in futura nos ad benè agendum inuitat Deus, & quasi mercede quadam nobiscum paciscitur.

A. * Merces illa non pro dignitate, vt dixi, operibus tribuitur, & illis quasi gratia pro meritis refertur, sed Dei benignitate gratis præter meritum, in nos confertur. Iustitiam verò Deus nobis pro sua in nos charitate, & liberalitate † per Christum dono dat. Dei donum liberalitatémq; quum dico * gratuitam, & sine mercede, aut merito nostro benignam intelligo: vt sit mera synceráq; Dei liberalitas, quum ad nostram modò, quos diligit, quíq; illi fidimus, salutem referat, non conducta, aut mercenaria, quasi quædam commodorum vtilitatúmq;

Mat.5.b.12 & 10.d.41.42.& 25.c.34.35 Ephe.3.d.20 2.Tim.1.b.9
†Rom.3.c.24 1.Cor.1 *Rom.3.c.24 & 11.b.6 Gal.5.a.4 2.Tim.1.c.9 Tit.3.b.4.5 Apoc.21.b.6

ſuarum mercatura, quàm ad fructum aliquem ſuum exerceat, aliquod viciſſim præmium, aut pretiũ à nobis repetens: qua ſola vel cogitatione Dei benignitas, ſimul & maieſtas minueretur.

M. Quum ergò Deus, & iuſtitiam nobis per fidem tribuat, & opera noſtra per eandem grata acceptaq; habeat: dic mihi, fidem hanc, naturæne dotem, an Dei donum eſſe putas?

Mar.9.c.23.24
Ioh.9.g.38.39
1.Pet.1.d.20.21
Mat. 16.b.7.8.9 11.
Luc.18.f.34.
Rom.8.b.6.7
1.Cor.2.d.14

A. Donum † diuinum, & quidem ſingulare, atq; eximium, fides eſt. Nam & hebetiora, * tardioraq; ſunt ingenia noſtra, quàm vt Dei ſapientiam, cuius fontes fide aperiuntur, concipere, & animo comprehendere poſſint: & corda noſtra, vel ad † diffidentiam, vel ad prauam peruerſamq; in nobis, vel alijs creaturis confidentiam, quàm ad veram in Deo fiduciam, ſunt propenſiora. Verùm Deus verbo ſuo nos inſtruens, ſimulq; * mentes noſtras Spiritu ſuo ſancto illuſtrans, ad ea, quæ alioqui obtuſam ingeniorum noſtrorum aciem longè fugerent, dociles nos reddit, & ſalutis promiſſiones in animis noſtris confignans, nos ita formát, vt de illarum fide nobis ſit perſuaſiſſimum. Hæc intelligentes Apoſtoli, Dominum orant, vt † fidem ipſorum augeat.

†Mat.6.d.30.& 8 c.16.& 16.b.8.& 14.d.31.
*Mat.16.c.17
Luc. 24.c.27.g.45 46.
Rom.10.d.16.17.
Col.1.b.9.
2.Tim.2.a.7.

†Luc.17.a.5

Tertia

Tertia pars de Oratione, & gratiarum actione.

M. Opportunè de oratione mẽtionem feciſti. Abſoluta enim iuris Diuini,& Symboli, id eſt,confeſſionis Chriſtianæ explicatione, proximum eſt vt de precatione,& quæ illi finitima eſt,gratiarum actione iam dicamus : eſt enim horum cum ſuperioribus implicita,& aptè cohærens ratio. *Tranſitio.*

A. Aptiſſimè profectò: vt quæ ad priorem legis Diuinæ tabulam referuntur, officiaq; pietatis in Deum præcipua complectuntur. Pſal.50.c.15.d.23. Act.9.d.21 Rom.10.c.12.& 15.b.6

M. In explicanda oratione, quem ordinem ſequemur? 2.Cor.1.a.2.4 2.Tim.2.d.22. 1.Pet.1.c.17

A. Hunc, ſi ita tibi videbitur præceptor, vt primo loco, quis ſit orandus : ſecundo, qua fiducia : tertio, qua animi affectione : quarto, quid orandum ſit explicemus. *Rerum docendarum ordo.*

M. Primùm igitur dic mihi quem inuocandum eſſe cenſeas?

A. Nullum profectò, niſi Deum ſolum.

M. Quid ita?

A. Quia in Dei vnius manu, † vita ſalusq; noſtra poſita eſt, in cuius poteſtate ſita ſunt omnia: quum ergò omne quod bonum eſt , quodq; hominem Chriſtianum optare & expetere oporteat , Deus nobis largiatur : quumq; is ſolus in quouis * diſcrimine opem atque auxilium ferre , periculaq; omnia depellere poſſit, ab eo rem omnem petere, Pſal.17.b.7.8. & 26.a.1.& 28.b 8.& 78.& 104 toto. Pſ.18.a.1.&c.d 26.27.28.&c.& 91.a.1.2.&c

atque ad ipsum solum in quauis difficultate confugere, & ipsius opem implorare nos conuenit. Hoc enim ipse in † verbo suo tanquam peculiarem, propriúmq; numinis sui cultum exigit, atque deposcit.

Psal.50.c.15.d. 23.& 81.b.7.& 29.d.26.27

M. Annon ergò rectè sanctos homines, qui ex hac vita abierunt, aut Angelos etiám inuocabimus?

A. Minimè: id enim esset, vel infinitatem illis, vt vbique præsentes sint, vel absentibus abditarum voluntatum nostrarum intelligentiam, hoc est, Diuinitatem quandam tribuere: simulq; fiduciam atque spem nostram, * quæ tota in solo Deo collocanda esset, partim in ipsos transferre, atque ita in idololatriam prolabi. Sed & quum Deus ad se vnum nos vocet, † se nos & adiuturum & auditurum interposito etiam iureiurando promittat, ad aliorum opem confugere diffidentiæ esset, atque infidelitatis certum argumentum. Et quod ad sanctos homines, qui ex hac vita excesserunt, attinet: quale quæso hoc esset, relicto Deo * viuente, audiente † preces nostras, potentissimo, * propensissimo ad iuuandum, qui nos ad se ↓ vocet, suo numine atque auxilio nos defensurum in verbo veritatis promittat, * atq; iuret: illo inquam relicto, ad homines mortuos, surdos, imbecilles confugere: qui neq; opem promiserint, neq; auxilium ferre possint, quibus iuuandi nostri partes Deus nusquam tribuerit, ad quos nullis scripturis, quibus † fides certò nitatur, dirigamur, sed capitis tantùm nostri somnijs, aut delirijs potiùs fidentes, temerè agamur.

Psal.1.c.18.& 25 2.1.2.& 118.b. 8.9.

Psal.50.c.15. & 89.b.26.27. Ioh.16.c.23.24

Psal.102.d.21.23 24.

† Psal.50.c.15.

*Ephe.3.d.20.

↓Mat.11.d.28.

*Ioh.16.c.23.24

†Rom.10.c.8.d. 14.17.& 14.d.23. Heb.11.b.6.

M. At

M. At Angelorum, qui nos circumstant, & nos proinde audiunt, opera Deus ad salutem nostram vtitur.

A. Verum † id quidem est: nusquam tamen in verbo Dei apparet, Deum velle nos vel Angelis, vel hominibus pijs iam mortuis, preces adhibere. Quum verò fides * verbo Dei nitatur, & quod non est ex fide † peccatum sit, rectè dixi, certum esse infidelitatis signum, relicto Deo, * ad quem solum nos scripturæ remittunt, Angelos, aut pios homines hac vita carentes, de quibus inuocandis nullum in sacris literis verbum extet, precari atque implorare. Psal.91.b.11.12 Heb.1.d.14 Rom.10.d.17. Rom.14.d.23. Mat.6.b.6.9.

M. Quum tamen charitas piorum animis nunquam † excidat, etiam in cœlo versantes, soliciti sunt de nobis, & salutem nostram expetunt. 1.Cor.13.c.8.

A. Id verò negari non potest: non tamen sequitur à nobis proinde esse inuocandos: nisi putemus amicorum, quamuis longè absentium, tantùm quòd nobis benè velint, opem atque auxilium esse implorandum.

M. Ab hominibus tamen viuis, præsentibusq; quibuscum versamur, opem sæpe petimus.

A. Fateor: homines enim, vt * mutuæ inter se opis indigent, ita facultatem sese mutuò iuuandi Deus illis concessit: diserteq; etiam præcepit, vt quisq; proximum suum, quo possit adiumento, † subleuet. Homines ergò, vt beneficentiæ Diuinę ministros ex voluntate Dei imploramus, opem 1.Cor.12.b.11.c. 21.d.25. 1.Pet.4.b.10. Mat.7.b.12 1.Cor.10.f.24. Gal.6.a.2

atq; auxilium ab ipsis expectantes: at ita tamen, vt tota fiducia nostra in solo Deo reponatur, illiq; quic-
1.Pet.1.b.10 quid * per manus hominum traditur, vt omnis benignitatis fonti acceptum referamus. Rectè ergò atq; ordine ista fiunt, neque quicquam impediunt, quo minùs vnum Deum inuocemus, ita vt nihil aliunde boni nos expectare, nec alibi totum nostrum præsidium collocare testemur.

M. Prece igitur & obsecratione, vt & alijs omnibus pietatis officijs, ex præscripto verbi Dei nobis esse vtendum, alioqui Deo placere non posse statuis?

Deut.4.a.2.& 5 c.32.33. *A.* Omninò: in religione enim ordinis, atque rationis à Deo institutæ perturbatione peccatur, quicquid peccatur.

M. Solum ergò Deum, collocata in eo omni fiducia,, inuocandum esse, eiq; vt bonorum omnium fonti accepta referenda esse omnia, hactenus dictum est: Iam proximum est, vt qua fiducia miseri mortales, qui tot modis indigni sumus, immortalem Deum appellare debeamus, declares.

Transitio.

Psal.79.b.8.9 Dan.9.c.18. Ioan.14.a.2.3.b 13.& 16.c.23 Ephe.2.d.18 1.Tim.2.b.5 Hebr.4.d.16.& 10 d.19.20.22. A. Sumus quidem nos omnibus modis indignissimi, verùm non superbè atq; arroganter, quasi digni irrumpimus, sed Christi * mediatoris nomine, atque fiducia accedimus: à quo ianua nobis patefacta, quamuis vilissimi homunculi simus, ex argilla & luto ficti, scelerumq; nostrorum conscientia oppressi, aditu non prohibebimur, neque difficiles accessus ad Diuinam maiestatem, eiusq; gratiam nobis conciliandam sumus habituri.

M. Non

M. Non ergò vt ad principem aliquem mũdanum, ita & ad Deum accessuris opus est homine aliquo internuntio, aut interprete, qui nos illi commendet, causámq; nostram exponat.

A. Nihil minùs: nisi & Deum hominum * instar vt vni loco inclusum, multa nisi per seruos suos intelligere non posse, vel dormitare interdum, vel non satis otij ad auscultandum habere statuamus: nam quod ad indignitatem nostram attinet, preces nostras, nulla re nobis insita, sed vnica † Christi, cuius nomine precamur, dignitate niti iam diximus. 3.Re.18.f.27 Psal.33.b.13.14 & 94.b.7.9.10.11 Ioan.15.c.16.& 16.c.23.24.25.26

M. Ergò solius omninò Christi nomine, atq; fiducia patrem Deum inuocandum esse censes?

A. Certè præceptor: solus enim ille supra alios omnes singulari nos * amore complectitur, vt omnia nostra causá velit: solus est apud Deum Patrem, cui ad dexteram assidet, † gratiosissimus, vt quidquis ab eo impetrare possit: solus ergò mediator Dei & hominum, homo Iësus Christus: solus inquam, vt redemptionis, sic & inuocationis (vt ita loquar) mediator, cuius solius * nomine Deum Patrem adire nos disertè sacræ literæ iubent, additis etiam promissionibus, eum sua intercessione effecturum, vt, quæ oramus, exoremus. Alioqui † sine Christo, Dei auris atque animus ab hominibus abhorret. Ioan.15.b.9.13. Rom.8.d.17.18 19. Ephe.5.a.2.d.25 †Mat.3.d.17.& 12.b.18. Rom.8.e.34 *Ioan.14.b.13.& 16.c.23.26 Ioan.15.a.5 Ephe.2.c.12.13

M. At mutuis * precibus alij alios adiuuamus tamen, quoad in hoc mundo hæremus. 1.Thes.1.a.2 Col.4.a.2.3. Ephe.6.c.18.19

A. Verum id quidem est, non tamen ideò alios

mediatores Christo substituimus, sed coniunctis animis & votis, ad charitatis atque verbi Dei præscriptum, vno * mediatore, communem Patrem inuocamus.

1.Tim.2.b.5. Heb.9.d.15.

M. Alios ergò mediatores ad Deum, aut causæ nostræ patronos, præter vnum Christum constituere: & à Scripturis sanctis, ac proinde à fide alienum, & cum Christi ipsius summa iniuria coniunctum esse dicis?

A. Dico præceptor.

M. Perge.

A. Summa rei illuc pertinet, vt promissionum * nobis per Christum factarum fiducia nixi, eiusq; freti patrocinio, omissa omni dignitatis nostræ ratione, precibus quasi ex ore † Christi conceptis, ad Deum Patrem inuocandum accedamus: quod vt veritati scripturarum maximè consentaneum est, ita ab * arrogantiæ, temeritatisq; culpa longissimè vtiq; abest.

Rom.1.a.2.5. & 4.d.21.24. 2.Cor.1.d.20.& 3.b.4.5. Gal.3.d.22. Tit.1.a.2 Heb.4.b.14.&c. † Mat.b.3.10 Iob.14.b.15.d.16 & 15.c.16.21.& 16.c.23.24.26. * Psal.29.a.1.2. Act.3.c.12.16.

M. Sic verò vt dicis, Deum precantes, quod petunt impetrandi spem bonam concipere debere existimas?

A. Et Dominus ipse certa nos * fide petere iubet addita promissione, & iureiurando etiam interposito, nobis datum iri, quicquid credentes petierimus: & eius item Apostoli rectam precationem ex fide manare docent. Proinde firmissimum, hoc orationis ponere fundamentum perpetuò oportet, vt in certa paternæ bonitatis † fiducia acquiescentes

Mat.21.c.21. Mar.11.d.22.23 24. Ioh.16.c.23. Iac.1.a.6. & 5.d. 15.16. † Mat.7.b.10. Heb.4.d.16. & 10.d.22 1.Ioh.5.c.14

scentes, Deum preces votaq; nostra exauditurum, & quod petierimus, quatenus quidem id nobis expediet, impetraturos nos esse statuamus. Proinde, qui temerè*atq; inconsultè ad precandum accedunt, quiq; hæsitantes, & de successu incerti orant, vana irritaq; verba incassum fundunt. *Mat.20.c.22.& 21.c.21. Ioh.16.c.24 Iacob.1.a.6.& 4. a.3.

M. Intelligo qua fiducia Deum inuocandum esse dicas: nunc qua animi affectione accedendum sit, explica.

A. Indigentiæ, egestatisq; nostræ, & ærumnarum, quæ nos premunt, sensu animos nostros grauiter affici oportet: adeò quidem, vt liberationis ex ea molestia, atq; opis Diuinæ, quam expetimus desyderio ingenti flagremus. Sic verò animis affecti, fieri non potest, quin attentissimè, † ardentissimoq; studio, quod cupimus, precibus omnibus votisq; exposcamus. Psal.6.& 38. totis. & 50.c.15. 94 c.7.& 124.a.1.2 & 127.a.1.20. Rom.7.d.18.& 8 d.22.23. 2.Cor.3.b.4.5. †Luc.18.a.5.7. Rom.12.c.12. Eph.6.c.18. Col.4.a.2. 1.Tim.2.a.1.

M. Videò ergò non satis esse lingua tantùm, & voce precari.

A. Mente*atque attentione, sine qua preces nunquam efficaces esse possunt, non adhibita, precari non solùm est laborem inutilem frustrà suscipere: (quomodo enim nos Deus exaudiat, quum non attendimus† nec exaudimus nosmetipsos?) nec inanes solùm sine fructu, sed & noxias*etiam, læsa maiestate Diuina, voces fundere: tantum abest, vt Diuinum numen scelere violatum eiusmodi preces placere queant. 1.Cor.14.c.14.15 1.Cor.14.c.11. Psal.109.b.7. Math.15.a.7.8.

M. Vnde ista ita esse intelligimus?

Ioan.4.c.23.24 2.Cor.3.d.17

A. Quum Deus sit Spiritus, (vt ita loquar) atque animus purissimus, animum mentemq; , cum ahàs semper, tum verò in oratione, per quam homines cum Deo quasi colloquuntur, & communicant, vel maximè requirit. Sed & ijs tantùm, qui ipsum

Psal.145.c.18.19

* verè, id est, ex animo inuocant, propinquum fore se, eorumq; preces sibi cordi esse, testatur.

Esa.29.c.12.13 Mat.15.a.8.& 20. c.22.

Contrà verò, qui † simulatè, temerèue in lingua promptum habent, quod animo & cogitatione non comprehendunt, nec consequuntur, & cum

*Ier.48.b.10

immortali Deo * negligentiùs, quàm cum mortali homine solent, agunt, horum preces Deus meritò auersatur, atq; detestatur. Mente ergò semper opus est, at lingua in precatione perpetuò non est necessaria.

M. Est tamen aliquis in precibus linguæ vsus.

Psal.25.d.28 & 51.c.14.15.& 71.d.21.22.23 Rom.14.c.11 Phil.2.b.11

A. Maximè. Æquum enim est, vt † lingua etiam omnem vim atq; facultatem suam ad amplificandum Dei gloriam, sedulò studioseq; conferat: quum præ alijs corporis partibus in hunc vsum propriè à Deo condita sit. Præterea vt animo cogitatione curaq; vehementer intento, vox imprudentibus interdum nobis erumpit: ita nonnunquam ipse pronunciandi sonus, auditioq; nostrorum verborum mentem excitat, atq; acuit, eiusq; intentionem iuuat, & remissionem, qua assiduè animus vrgetur, arcet atque depellit.

M. Quum hæc ita se habeant, quid de illis censes, qui in precando peregrina atque ipsis incognita lingua vtuntur?

A. Eos

A. Eos non operam modò (quod aiunt) ſed Deum etiam ipſum pariter ludere. Si enim LOQVI eſt ſuo loco verbum quodq; ſcienter ponere, qui *non intellecta verba pronuntiant, perſtrepunt veriùs quàm loquuntur: tantum abeſt, vt precentur. Pſittacos enim potiùs quàm homines, nedũ Chriſtianos agunt. Itaq; faceſſat procul à pijs hominibus talis hypocriſis, atque ineptia. Nam ſi D. Paulus abſurdum putet, vt quis apud alios ſermonem habeat, quem non intelligunt, quòd verba neminem moueant niſi eum, qui eiuſdem linguæ ſocietate ſit coniunctus, loquentémq; atque audientes mutuò ſibi barbaros fore affirmet: quanto eſt abſurdius, noſmet nobis ipſis eſſe barbaros, dum eo ſermone, qui nobis non eſt notus, vtimur, illáq; lingua, in qua ipſi ſurdi ſumus, ſenſus noſtros atque vota explicare conamur? Huiuſmodi certè homines vt maximè ineptos optimo iure rideri, homines olim ſapientiſſimi exiſtimauerunt.

Interpretatio nominis.

1.Cor.14.b.7.8. c.11.

Cor.14.c.11.

Cicer.offic. Tuſc.5. & de Oratore.

M. Video quàm attentus animus, ſtudiumq; ardens in oratione requiratur. Verùm dic mihi, ardorem iſtum naturalémne, & animis noſtris inſitum, an Diuinam hanc mentium noſtrarum incitationem eſſe putas?

A. Sacræ literæ teſtantur Dei ſpiritum * gemitus inenarrabiles, quibus preces noſtræ efficaces reddantur, ciere. Is ergò ſine dubio mentes noſtras afflatu ſuo concitat, & ad orandum acuit atque adiuuat.

*Rom.8.d.22.23. 26. Ephe.2.d.18.

M. Quid ergò, cùm hic animi ardor, qui ſemper

adesse non potest, considerit, aut extinctus omninò fuerit, an pigritia torpentes, & quasi dormitantes, agitationem, motumq; spiritus ociscitanter expectabimus?

A. Nihil minùs: quin potiùs languentibus nobis atq; animo remissis, Diuinum † protinus auxilium expetendum est, vt is alacritatem nobis addat, animosq; nostros ad precandum excitet: hanc enim mentem, voluntatemq; Deo duce suscipimus.

† Psal.51.d.17. Mat.26.d.40.41.

M. Superest iam, vt quid precibus à Deo debeamus exposcere, ex te intelligã. Licétne, quicquid in mentem buccámue nobis venerit, à Deo petere?

A. Quum homines à vera pietate alieni, tam honestam opinionem de deorum suorum numine ac mente habuerint, vt expeti nihil ab ijs, quod sit iniustum, ac inhonestum debere arbitrarentur: absit vt homines Christiani quicquam, à quo diuina mens atque voluntas * abhorreat, precibus à Deo petamus vnquam. Hoc enim esset diuinam maiestatem iniuria, atque ignominia etiam summa afficere: tantum abest, vt talis illi precatio placere, aut quicquam ab eo impetrare queat. Quum verò & hæbetiora sint mortalium † ingenia, quàm vt quid ipsis expediat intelligere possint, & animorum cupiditates tam cæcæ atque indomitæ, vt non solùm duce, quem sequantur, sed frænis etiam, quibus coërceantur, opus habeant, nimis absurdum esset, affectibus nos nostris temerè præcipitesq; in precando ferri. Ad certam ergò normam atque præscriptionem precationes nostræ omninò sunt dirigendæ

Cicero pro domo sua.

Mat.7.b.11. Ioh.16.c.23.24. Iacob.4.a.3. 1.Ioh.5.b.14

Mat.20.c.22. Rom.8.c.26.27. Iacob.4.a.3.

rigendæ.

M. Quam tandem quæso?

A. Eandem profectò illam, † quam cœlestis magister discipulis suis, ac per eos nobis omnibus precandi formulam constituit: qua, quæ à Deo petere fas est, ac nostra impetrare interest, vniuersa in pauca admodum contulit, quæ etiam ab ipso authore Precatio Dominica est appellata. Si ergò doctorem cœlestem diuina voce nobis præeuntem sequemur, nunquam profectò à recta precandi regula aberrabimus. †Mat.6.b.9.10. Luc.11.a.1.2.&c.

M. Dominicam ergò precationem mihi recita.

A. Quum volueritis orare (inquit * Dominus) sic dicite. PATER NOSTER QVIES IN COELIS, SANCTIFICETVR NOMEN TVVM. VENIAT REGNVM TVVM. FIAT VOLVNTAS TVA, SICVT IN COELO, SIC ETIAM IN TERRA. PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA NOBIS HODIE. ET REMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICVT ET NOS REMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS. ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM, SED LIBERA NOS A MALO. QVIA TVVM EST REGNVM, ET POTENTIA, ET GLORIA IN SECVLA. AMEN. *Mat.6.b.9.&c. Luc.11.a.1.2.&c.

M. Arbitrarísne ista à nobis quasi dictata perpetuò reddenda esse, ita vt vno verbo ab ipsis discedere sit nefas.

A. Non est dubium, quin † alijs in precando verbis vti liceat, modò ab huius precationis sententia non

† *De hoc constat ex Psalm. libro, & alijs S. Scriptura locis penè infinitis.*

non aberremus. In ea enim certa quædam, & præcipua rerum capita Dominus proposuit, ad quæ, nisi precationes nostræ omnes referantur, Deo placere non possunt: petat tamen quisq; à Deo, vt præsens * tempus atque necessitas flagitabunt: & cui volet parti huius precationis, & quamdiu volet, immoretur, eamq; prout visum fuerit, variis modis amplificet: nihil enim impediet, modò ea fiducia atque affectu, quo est antè dictum, in eam item sententiam, quæ hac oratione ostenditur, Deum precetur.

*Psal.107.a.5. & b.12.c.18.d.28. &c.

M. Precatio Dominica quot partes habet?

Partitio.

A. Postulationes quidem sex continet, partes tamen in summa duæ sunt: quarum prior ad solam Dei gloriam attinet, & tres priores petitiones complectitur: posterior, quæ reliqua tria postulata continet, ad nostrum commodum propriè pertinet.

M. Itáne vtilitatem nostram à Diuina gloria diuellis, atque distrahis, vt æqualiter etiam inter ea partiaris?

A. Cohærentia non distraho, sed quò tota tractatio perspicua fiat, secernenda distinguo: vt quorsum quidq; pertineat intelligatur. Alioqui, quæ propriè ad Dei gloriam spectant, ea nobis quoque summas vtilitates præbent: quæ rursum vtilitati nostræ seruiunt, omnia ad diuinam gloriam reuocantur. *Is enim finis, ad quem referenda sunt vniuersa, hic esse nobis scopus debet, vt Dei gloria quàm maximè amplificetur. Partitionem tamen hanc in tractando interim non incommodam fore, nec

Finis vniuersorum Dei gloria.

1.Cor.10.30.31 Col.3.c.17.

nec temerè, sed ex rerum ipsarum proprietate fieri arbitror: quia dum illa, quę ad Dei gloriam amplificandum propriè pertinent, petimus, vtilitates interim nostras omittere oportet, quam tamen in posterioribus illis petitionibus commodis nostris rectè seruiamus.

M. Iam verborum omnium pondera paulò diligẽtiùs examinemus. Cur Deum Patrem nominas?

A. Permagna in vnius huius nominis vsu vis inest. Duo enim, quæ supra in precãdo cum primis necessaria esse demonstrauimus, complectitur.

M. Quæ sunt illa?

A. Primùm, non quasi absenti, † aut surdo loquor, sed vt præsentem audientemq; appello atque inuoco, certò persuasum habens, eum precantem me exaudire: alioqui enim eius auxilium frustrà implorarem. Hoc ita de Angelorum aut hominum etiam mortuorum * quoquam statuere, sine omni dubitatione profectò non possum. Deinde fiduciam impetrandi, antè diximus, esse rectæ precationis fundamentum: charum verò ipsum verbum est Patris, ac paterni amoris, & spei bonæ atq fiduciæ pleniſſimum. † Nomine ergò, quo nullum in terra dulcius, appellari Deus voluit, ita nos ad se inuitans, vt eum, omni sublata de patrio eius animo atque beneuolentia dubitatione, intrepidè adeamus. Cũ enim Patrem eum nobis esse decernimus, * eius spiritu animati, vt suum liberi parentem solent, accedimus. PATER ergò charitatis † atq; amoris nomine, potiùs quàm dignitatis, aut maie-

Psal.33.b.13.14. & 34.c.15.17.& 94.b.9.10.11.& 139.a.1.2.&c.& 145.c.18.19.

*Esa.63.c.16.

†Psal.103.c.13. Luc.15.c.18.

*Rom.8.c.15.16. Gal.4.a.6.

†Mal.1.b.6

ſtatis vocabulis, REX aut DOMINVS nuncupari hoc loco Deus voluit, & paterni nominis ampliſſimum patrimonium nobis interim quaſi † liberis ſuis relinquere.

†Ioh.1.b.12. Rom.3c.15.17 Gal.4.a.6.7.

M. Eáne igitur impetrandi fiducia, qua ſuos filij parentes adire ſolent, ad Deum accedemus?

A. Firmiorem multò ſtabiliorem q; eſſe Diuinæ beneuolentiæ, quàm humanæ fiduciam, † Chriſtus naturalis Dei filius, ingenij patris optimè gnarus, nobis confirmat dicens: * Si vos (inquit) cùm mali ſitis, filios veſtros inanes voces fundere non ſinitis, ſed eorum poſtulationibus conceditis, quantò erit cœleſtis Pater, qui ipſa eſt bonitas atque benignitas, in vos beneficentior? Verùm omnem hanc fiduciam † Chriſtus, vt eſt antè dictum, nobis affert: neque enim nos, qui natura iræ filij ſumus, Deus ſibi niſi per Chriſtum adoptat, aut filios eſſe agnoſcit.

†Mat.11.d.27 Ioh.1.c.18.& 10. c.15. *Mat.7.b.11 Luc.11.c.13.

Rom.5.a.1.2 Gal.4.a.4.5.6. Ephe.2.a.4.5 1.Ioh.2.a.1

M. Ecquid præterea nos docet Patris nomen?

A. Vt cum eo amore, * reuerentia, atque obedientia, quæ Patri cœleſti à ſuis liberis debetur, ad precandum accedamus, vtq; eam mentem, quæ filios Dei decet, habeamus.

*Mala.1.b.6. Mat.26.d.39.42

M. Deum cur noſtrum potiùs communiter Patrem appellas, quàm tuum ſeparatim?

A. Fas quidem eſt pio cuiq; Deum † ſuum nominare, verùm eam oportet eſſe hominum Chriſtianorum inter ipſos communitatem, atque ſocietatem, eaq; charitate atque beneuolentia ſinguli vniuerſos complecti debent, ne alijs neglectis, quiſquam vnum

Pſal.22.a.1.2. Rom.1.a.8. 1.Cor.1.a.4. Rom.12.b.4.5. c.10.d.16. 1.Cor.10.f.24.& 12.b.12.&c.c.21. &c.d.25.26.& 13. b.5.

num se curet, sed publicam omnium vtilitatem respiciat: vnde priuatim nihil in tota hac precatione, sed communi omnium nomine cuncta postulantur. Sed & cum illi, quorum infima est fortuna, ac vitæ conditio, communem * patrem cœlestem, æquè ac fœlices, & ampliſſimæ dignitatis gradus adepti, appellent, eos ne fratres dedigne-
mur, qui filiorum honore apud Deum dignantur,
admonemur. * Despicatiſſimi verò & qui in hoc
mundo sunt contemptiſſimi, hac interim consola-
tione lenire se, atque sustentare possunt, quòd in
cœlo potentiſſimum eundemq; benigniſſimum pa-
trem habeant. Præterea qui Deo † fidimus, eum re-
ctè patrem esse nostrum profitemur. Impij enim
atque increduli, vt Dei potentiam iustitiamq; exti-
mescant, paternæ tamen ejus erga se bonitati confi-
dere non possunt.

*Mal.2.b.10. Ioh.8.c.41. 1.Cor.8.a.6. Ephe.4.2.5.6. Iac.2.a.1.2.3.5.

†Deut.10.c.17. 18. Psal.10.d.18.& 68.a.56.& 146. b.67.&c. †Psal.11.b.5. 6.7 & 25.a.1.2.&c. & 73.c.25.26.&c. Rom.1.c.18.& 2. b.6.7.8. Iac.2.a.5.

M. Cur Deum in cœlo esse dicis?

A. Quemadmodum cœlum rotundo atq; immenso ambitu omnia complectitur, circundat terram, circundat maria: nec res, aut locus est aliquis, qui cœli capacitate non cingitur atque concluditur, estq; ex omni parte patens atque apertum, & rebus omnibus perpetuò sic adest, vt in eius quasi conspectu locentur vniuersa: ita Deum * arcem cœli te-
nentem, rerum pariter omnium gubernacula tene-
re, vbiq; præsentem adesse, videre, audire, moderari
vniuersa intelligimus.

*Psal.11.b.4.5.& 20.b.6.&.33.b.13 & 113.a.4.5.6. & 115.a.3.

M. Perge.

A. In cœlo etiam, ob id Deus esse dicitur, quòd

Psal.8.a.3.& 19 1. suprema, atque † cœlestis illa regio, Diuinis eius atque præclaris operibus magnificentiùs collucet atque illustratur. * Deum præterea in cœlo regnantem, in æterna & summa fœlicitate esse demonstratur, cum nos adhuc in terris patria pulsi, vt paternorum bonorum exhæredes filij miserè & calamitosè exulemus. Idem ergò valet, † Deum in cœlo esse, ac si cœlestem & modis omnibus Diuinum eum appellem, id est, incomprehensibilem, excelsissimum, potentissimum, beatissimum, optimum, maximum.

*Psal.8.a.1.2. 3.4.& 11.b.4.5.

†Psal.50.a.3.4.6. & 57.a.5.b.10.11. & 68.d.32.33.& 113.a.4.5.

M. Quem ex istis fructum percipis?

A. Euellunt ista ex animis nostris vulgares atque corruptas de Deo opiniones, instituuntq; mentes nostras, vt de cœlesti * Patre cogitationem longè aliam, quàm de terrenis parentibus solemus, suscipiamus: vt reuerentiam summam aduersus sanctam eius maiestatem adhibeamus, eamq; venerabundi suspiciamus, & admiremur: eum attendere, preceſq; ac vota nostra † exaudire certò statuamus: in eo, qui cœli & terræ præses sit & custos, spem omnem collocemus: simul autem ne quid Deo indignum petamus, sed vt cœlestem patrem appellantes, animos * humo excitatos, celsos & erectos, terrena despicientes, supera atque cœlestia cogitantes, habeamus, & ad beatissimam illam patris nostri fœlicitatem, atque ad cœlum quasi † hæreditatem paternam, perpetuò aspiremus, his verbis admonemur.

*Psal.50.a.4.6.& 89.b.5.6.7. Mat.23.b.9.

†Psal.20.b.6.& 102.c.15.17.& 113.a.4.5.

*Coloſ.3.a.1.

†Rom.8.c.17. Ephe.1.c.14.d. 18. Heb.9.c.15. 1.Pet.1.a.3.4.

M. Hoc ergò tam fœlici aditu, introituq; precationis

tionis nobis iam patefacto, agè primum mihi postulatum recita.

A. Precamur primùm, vt DEI NOMEN SANCTIFICETVR.

M. Hoc quid sibi vult?

A. Non aliud, quàm vt eius gloria * vbique amplificetur. Psal.89.2.5.6.&c Rom.11.d.36.& 16.d.27 1.Cor.10.g.31 Eph.3.d.20.21 1.Tim.1.d.17

M. Cur istuc primo loco postulamus?

A. Quia æquissimum est, vt filij Patris, † serui domini, conditi conditores, gloriam augeri, maximè expetant atq; exoptent. † Mal.1.b.6

M. An quicquam Dei gloriæ accrescere aut decedere potest?

A. Dei quidem gloria cùm perpetuò sit † amplissima, in seipsa neq; accessione maior, neq; decessione minor fieri potest: neq; enim accretione, aut diminutione aliqua, vt hæc nostra solent, mutatur. Psal.56.b.5.c.11. & 104.c.31.

Verùm vt Dei nomen illustre notúmq; mortalibus fiat, eiusq; laus & gloria in terris, ita vti par est, celebretur, precamur. Et sicuti immensa Dei potentia, sapientia, iustitia, bonitas, diuináq; eius opera omnia gloriam Dei atque amplitudinem reuerà illustrant, ita optamus vt † nobis etiam illustria & glorioſa appareant: quo authoris magnificentia, vt in seſe est amplissima, sic & inter nos modis omnibus splendida, atque præclara reluceat, & laudibus atque honoribus priuatim publicéque celebretur. Psal.96.a.1.3.&c Psal.113.a.1.3. &c.& 114.a.1.& 145.toto. Rom.11.d.36

M. Perge adhuc.

Esa.52.b.5.6 Ezec.36.d.20. Rom.2.d.34 Mat.6.c.16 2.Thes.1.d.12

A. Precamur præterea ne sanctissimum Dei nomen ab alijs propter nostra vitia * malè audiat, & quasi ignominia afficiatur: sed vt potiùs eius gloria per nostram erga Deum hominesq; pietatem vbiq; gentium amplificetur. Optamus deniq;, vt aliorum omnium, qui cœlo, terra, mariue, vel alijs

Ios.24.c.14.d.23 Psal.96.2.4.& 97.b.7.9.& 115. a.3.4.&c.& 135. c.15. Rom.1.c.23. 1.Ioh.5.d.21.

vspiam locis † Deorum appellationes & honores adepti sunt, & in templis varijs figuris, atque cæremonijs coluntur: quibúsue pectora sua, quasi delubra quædam, homines errore, & vanis opinionibus imbuti consecrarunt: huiusmodi inquam commentitiorum, fictorumq; Deorum nominibus funditùs extinctis, & obliuione sempiterna obrutis, atq; deletis, solùm Dei cœlestis Patris diuinum nomen atque numen, magnum clarumq; sit, illudq; mortales omnes vbiq; terrarum agnoscant, auguste, sancteq; colant atque venerentur, & puris votis atque

Ioh.4.c.23.24.

animis precentur, inuocent, implorent.

M. Rectè quidem dixisti: perge quæso.

A. Secundo loco petimus, vt ADVENIAT REGNVM DEI, id est, ne verbi sui diuinam * veritatem, quam & Euangelium regni Christus nuncupat, obscuram in tenebris sinat iacere, sed eam quotidiè magis ac magis in lucem proferat, contra Sa-

Mat.4.d.23.& 9. d.35.& 9.d. 38.& 24.b.14.& 28.d. 19.20. Mar.1.b.14 Ioh.8.d.31.32

† Mat.13.c.25.c. 38.39.& 15.a.2. 3.6. Luc.16.b.8 Ioh.3.c.19.20 * Luc.10.a.3.& 20.c.12.&c.d. 17.18. Ioh.16.a.2.3.& 17.b.14.15.

tanæ † atque impiorum hominum ingenia, caliditatem, solertiam, contraq; fictas omnium insidias, qui veritati tenebras offundere, eamq; infirmare, aut mendacio contaminare nituntur: contraq; tyrannorum violentiam, * & crudelitatem, qui modis omnibus veritatem extinguere atq; opprimere, adeoq; funditùs delere conantur, præsidio

suo

ſuo tueatur,& defendat: vt nihil eſſe, quod Diuinæ veritatis inuictæ virtuti reſiſtere queat, manifeſtum atque teſtatum omnibus fiat.

M. Perge porrò de regno Dei dicere.

A. Precamur vt quamplurimos * ſacroſanctι huius verbi doctrina inſtitutos, & veritate adductos, è tenebris in lucem vocet, eoſq; in numerum ſanctumq; cœtum ſuum, id eſt, Eccleſiam ſuam, in qua præcipuè regnat, aggregatos, † ſpiritu ſuo aſſiduè gubernet, atque vt milites ſuos, † cum hoſtili vitiorum agmine, quaſi exercitu Satanæ ſumma contentione perpetuò decertantes, auxilio ſuo iuuet: vt in Diuina eius virtute firmitatem & robur tenentes, coërcitis affectionibus prauis † atque diſtortis, fractis domitiſq; cupiditatibus, victis, fuſis, fugatis, atque profligatis vitijs omnibus, cœleſtem Rempublicam & regnum augeant atque amplificent, Deo * per ſpiritum interim ſuum in ipſorum animis regnante, atque imperante.

Mat.1.b.14.15 Luc.4.c.18.19. Ioh.17.c.17.19. 20.21. Eph.3.d.21 1.Pet.2.b.9.10 † Ioh.16.b.13 † Luc.22.d.31 Eph.6.b.10.11. d.17.18. 1.Pet.5.c.8.9.

† Rom.6.b.11. 12.& 8.a.1.5. &c. b.10.12.&c.

* Rom.8.b.9.10. 11. 1.Ioh.3.d.24.& 4.c.13

M. Iſta quotidiè fieri videmus.

A. Fiunt quidem hęc quotidiè, ita vt † Deum piorum atque impiorum rationem habere ſatis intelligamus, vtq; regnum Dei in hoc mundo præclarè inchoatum videri poſſit: optamus tamen, vt aſſiduis incrementis eò vſq; augeſcat, vt reprobis omnibus, * qui Satanæ inſtinctu contra Diuinam veritatem contumaciter, atque obſtinatè reſiſtunt, & repugnant, & vitijs atque flagitijs omnibus ſeſe contaminantes, Dei regno atque imperio ſubijcere recuſant, ſub iugum miſſis, atque perditis: † Sata-

† Pſal.34.c.15. 16.& 37.b.9.10. &c.& 58.a.5.6.b. 9.10.& 64.b.9. 10.& 75.b.6.7

* Mat.13.c.38.41 & 22.a.6.7.b.13 Luc.19.c.14.c.27 & 12.f.45.46.& 20.c.16

† Mat.25.d.41 Rom.16.c.20 1.Cor.15.d.24. 25.26.&c.g.54. 55.56.57.

nacq; ipsius tyrannide funditùs deleta, hostibusq; omnibus confectis, oppressis, atque obtritis, ita vt nihil contra Dei nutum atque ditionem respirare queat, ipse solus vbique glorioſè regnet, imperet, triumphet. Et sicuti Deo * per spiritum suum in nobis regnante, communitas quædam hominibus cum Deo est in hoc mundo: ita fœliciſſimi † etiam regni sui gaudium, atque gloriam sempiternis seculorum ætatibus non immutandam in cœlo nobiscum per Christum vt communicet, quò cœlestis Patris nostri non filij modò, * sed & hæredes simus, precamur atque optamus: cuius voti Patrem cœlestem nostrum aliquando tandem nos compotes facturum esse, nihil profectò quicquam ambigimus aut dubitamus.

Rom.3.b.9.10. 11. 1.Ioh.3.d.24.& 4.c.13 † Mat.13.f.43 1.Cor.2.b.9 Apoc.21.d.10. 11.&c. Mat.25.d.34 Rom.8.c.15. 16.17. Tit.3.c.7

M. Quid deinde sequitur?

A. VT DEI VOLVNTAS FIAT: † filiorum enim est, vt ex patrum voluntate vitam suam instituant. Non contrà vt parentes ad filiorum voluntatem sese conforment.

Psal.40.b.8 Mat.26.d.39.42 Ioh.4.d.34.& 5.c.30.& 6.d.38 Eph.6.a.1 1.Ioh.c.14

M. An ergò homines quicquam inuito Deo facere posse existimas?

A. Multa certè scelera atque flagitia illius voluntate per grauiter * offensa, quotidiè à mortalibus fieri, atque admitti perspicuum est, planeq; inter omnes constat: ita tamen vt nulla vi, aut necessitate cogi possit Deus, quin quod facere † destinauit, id facillimè efficiat. Non tantùm igitur precamur vt quod illi decretum fuerit, eueniat: quod quùm diuina voluntas efficiēdi necessitatem secum

Psal.5.a.4.5.& 45.b.7.8 Psal.119.d.104. 128. † Psal.115.a.3.& 135.b.6.7 Rom.9.d.19

semper

semper adferat, euenire necesse est: sed quum mentes nostræ * cupiditatibus flagrantes, plærunq; ferantur ad eas res appetendas, atque petagendas, quæ Deo maximè displicent, petimus, vt omnes omnium voluntates, † sacri spiritus sui impulsu, ad sensum & voluntatẽ numinis sui ita commutet atq; conformet, vt nihil velimus aut optemus, nedum faciamus vnquam, à quo diuina eius voluntas abhorreat: & quicquid ex eius voluntate * euenire intelligimus, id non æquis solùm, sed & libentibus animis accipiamus, & patiamur.

Rom.8.b.7.&c Gal.5.c.16.17

† Rom.8.a.2.4.5. &c.c.14.15. 1.Cor.2.c.22.& 3.d.16

* Act.21.c.14 1.Pet.3.d.17.& 4.c.13.

M. Quorsum addis, vt IN TERRA FIAT ITIDEM AC IN COELO, Dei voluntas?

A. Nimirùm vt ad exemplar † cœlestium illorum spirituum, quos Angelos vocamus, diuinæ Maiestati dicto audientes atque obedientes per omnia simus: & quemadmodum in cœlo nulla est rebellio, ita neque in terra quisquam qui contra sanctam Dei voluntatem resistere & repugnare aut velit, aut audeat, vsquam inueniatur. Sed & quum * solem ac lunam, reliquasq; stellas in cœlo nobis conspicuas, assiduo motu & perenni agitatione ferri, & terram radijs suis ex diuina voluntate perpetuò illustrare videmus, obedientiæ exemplum nobis ad imitandum propositum intuemur. Prætereà verò quum in Sacris scripturis voluntatem suam * Deus disertè explicuerit, id quod Testamenti † nomine illis indito apertè significauit, qui in scripturarũ sententia non manent, à Dei certè voluntate manifestè recedunt.

Psal.91.c.11.& 103.d.10.21.& 104.a.4.5 Heb.1.b.67.d.14 Apoc.7.c.11.& 19.b.10.&22.c.9

* Psal.19.a.14.15. & 103.d.20.&c. & 135.b.7.& 136.b.7.8.9

Deu.5.d.32 Mat.7.d.21.& 12.d.50

† 1.Cor.3.b.6. d.14. Gal.3.c.15.17.& 4.c.24.

M. Satis iam à te tractata esse videtur prima pars precationis Dominicæ, quę tria illa capita ad Dei solam gloriam pertinentia complectitur. Nunc ad secũdam partem, quæ vtilia & commodis nostris apta propriè spectat, tametsi eadem ad Dei quoq; gloriã referantur, opportunè pergemus.

A. Secundæ partis primum caput est: PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA NOBIS HODIE.

M. Quid panis quotidiani nomine significas?

Psal.104.c.15.d. 27.&c.& 105. toto & 144.c.10.11. 12.&c.& 145.c. 14.15.16. &c.

A. Non ea modò, quæ ad victum cultumq; suppeditent, verùm etiam res alias omnes in vniuersum, quæ ad vitam tuendam, conseruandam, & in tranquillitate, ac sine metu degendam sunt necessariæ.

M. Ecquid est aliud, de quo hæc vox Panis nos admoneat?

Psal.78.c.18.19. 20.d.29.30.&. 106.c.14 Mat.6.d.25. Luc.16.c.19. 1.Tim.6.b.7.8.9 Heb.13.a.5

A. Ne res ad epulandum exquisitissimas, néue vestes pretiosas, aut magnificam supellectilem ad voluptatem studioſè conquiramus, & comparemus: sed vt delitias atque luxum despicientibus nobis, & paruo contentis, tenuis salubrisq; victus, & vestitus moderatus, atque necessarius satisfaciat.

M. Quomodo verò panem appellas tuum, quem à Deo dari postulas?

Psal.115.c.16 Mat.7.b.7.8 1.Cor.4.b.7 1.Tim.6.d.17 Iac.1.c.17

A. Dei * munere noster fit, quum nobis ad quotidianos vsus, tametsi iurè minimè debeatur, ab ipso benignè donetur.

M. Num

M. Num qua alia de causa tuum panem vocas?

A. Hoc verbo admonemur victum * labore nostro, aut alia legitima ratione parandum esse, vt eo contenti, de rebus alienis quicquam per auaritiam aut fraudem ne appetamus vnquam. Gen.3.d.19 Eph.4.d.28 2.Thes.3.b.8.c. 10.12.

M. Quum nos Deus labore nostro victum iubeat quærere, cur ab eo panem postulas?

A. Vnus est Deus, qui terris † fœcunditatem dat, qui vberes, fructuumq; fertileꝫ agros efficit: frustrà ergò omnem nos vitæ cursum in labore corporis, atque animi contentione confecturos esse, atque consumpturos certum est, * nisi Deus conatus nostros velit prosperare. Par est ergò, vt à Deo Opt. Max. qui iuxta Dauidis oraculum, omnia vt condidit, † ita pascit etiam atque tuetur, ad victum vitamq; necessaria, precibus quotidiè exposcamus: eaq; quasi dante porrigenteq; Deo, & de illius manu in manus nostras tradita, gratis animis accipiamus. Psal.14.a.1.& 65.c.9.& 68.b.9. & 104.c.13.& 85. c.12.& 147.b.8. &c. * Psal.127.a.1.2. 1.Cor.3.b.7. † Psal.104.& 136.d.25.& 145. c.15.& 147.&c.

M. An diuitibus etiam, qui rebus omnibus circumfluunt atque abundant, panem à Deo in diem petendum esse existimas?

A. Frustrà * congeremus, recondemusq; copias, quæ vel ambitioni nostræ, vel quotidianis sumptibus, vel necessario vsui, in multos etiam annos suppetent, nisi illarum vsum salutarem nobis Deus ad vitam sua gratia effecerit. Imò frustrà † in stomachum cibum ingeremus, nisi diuina virtus, qua potiùs quàm ciborum nutrimentis alimur, & sustenta- Psal.34.b.9 Luc.1.g.53.& 12. b.15. 1.Tim.6.c.17 Apoc.3.d.17 † Deu.8.a.3 Psal.78.d.29.30. Mat.4.a.4

mur, & alendi vim cibis, & stomacho concoquendi facultatem tribuerit. Ob quam causam cœnati etiam diurnum cibum, quem iam accepimus, à Deo tamen nobis præberi, id est, vitalem atq; salutarem fieri postulamus.

M. Quotidianum, & Hodiè, quorsum adduntur?

Mat.6.c.25.d.34 Luc.10.g.41 Phil.4.b.6 1.Pet.5.b.7 *1.Tim.6.c.9.10

A. Vt solicitudinum † crastinarum aculeos, ne dies noctesq; illis frustrà excruciemur, ex animis nostris euellat: vtq; nimiarum opum inexplebili cupiditate, & quasi rabida fame, à mentibus nostris * depulsa, officium nostrum sedulò facientes, à benignissimo patre quotidiè petamus, quod ille paratus est quotidiè impartiri.

M. Perge ad cætera.

A. Sequitur quinta petitio, qua Patrem precamur,

VT DELICTIS NOSTRIS IGNOSCAT.

M. Quem tandem ista venia fructum consequemur?

Psal.32.a.1.2. Rom.5.b.8.10 2.Cor.5.d.18. Col.1.c.20.21.22

A. Amplissimũ: nam quùm Deus supplicum † misereatur, eodem apud eum loco, atque in ea cum ipso gratia erimus, ac si innocentes, sancti, & in omnibus vitæ partibus integri essemus.

M. An hæc veniæ petitio omnibus est necessaria?

Psal.14.a.1.2.3 & 53.a.2.3 Rom.3.b.10.11. d.23. 1.Ioh.1.d.8.10. † Iob.9.a.1.2 Iacob.2.b.19

A. Maximè: quum nemo viuat mortalium qui in officio frequenter * non labatur, & à quo non sit in Deum sæpè ac grauiter peccatum: adeoq; testimonium in nos dicente † scriptura, Qui in vno aliquo offenderit, omnium manifestus tenetur: & qui de vno peccato se Deo vt purget contendit,

mille

mille facinorum reus arguetur. Vt ergò erratorum veniam impetremus, † vna spes est reliqua, vnicum omnibus perfugium, Dei per Christum bonitas & misericordia. Qui verò se peccasse * non fatentur, neq; delictorum veniam petūt, sed † cum Pharisæo illo, innocentia atque iustitia sua apud Deum, vel contra Deum potiùs gloriantur, ij à societate fidelium, quibus hæc precandi formula, quam sequantur, est constituta, & à portu atque perfugio salutis sese excludunt. Hoc est enim quod * Christus dicit, se non vt iustos, sed peccatores ad pœnitentiam vocatet, in hunc mundum veniisse.

2.Cor.5.d.18.19.20.&c. 1.Ioh.1.d.7.9. & 2.a.1.2.b.12 * 1.Ioh.1.d.8.10 † Luc.18.b.9.&c. Mat.9.b.13 Luc.5.f.31.32 & 15.b.7 1.Tim.1.c.15

M. Gratuitóne Deum peccatis nostris ignoscere statuis?

A. † Omninò. Aloqui non remissio, sed compensatio quædam videri posset: ad compensandum verò vnum vel minimum vitium, facultate vlla nostra sufficere nullo modo possumus. Non ergò præteritam culpam pariter, atque Dei pacem operibus nostris, quasi pretio quodam redimere, & paria paribus, quod aiunt, referre possumus: sed errati pariter atque supplicij * veniam à Deo per solum Christum impetrabilem precibus omnibus petere, atque vt ignoscat supplicitor postulare debemus.

Rom.3.c.24.25. & 11.2.5.6 2.Tim.1.b.9.10 Tit.3.b.5 Psal.32.b.5.6 1.Ioh.1.c.9.& 2.a.1

M. Verùm ita, atque ea quæ mox nobis statuitur conditio, vix aptè satis inter se cohærere videntur. Petimus enim, vt Deus ita nobis ignoscat, vt nos debitoribus nostris condonamus.

Mat.18.d.32.33 Luc.5.e.36.37.38

A. Æquissima quidem conditione veniam nobis Deus offert: quæ tamen, in eam partem accipienda non est, quasi hominibus ignoscendo, veniam ita promereamur, vt ea quasi gratia quædam nobis à Deo referatur. † Gratuita enim tum Diuina remissio non foret, neq; solus Christus, sicuti scripturæ docent, & nos antè explicuimus, peccati pœnas nobis debitas, in cruce persoluisset. Verùm, nisi alij nos ad sibi condonandum faciles habeant, atque ita clementiam & lenitatem Dei patris * imitando, eius nos filios esse ostendamus, clarè denunciat, vt nihil à se aliud, quàm summam animaduersionis seueritatem expectemus. Nostram ergò placabilitatem, non vt causam promerendę à Deo veniæ proposuit, sed vt pignori foret, ad animos nostros certa Diuinæ clementiæ fiducia confirmandos.

Rom.3.c.24.25. & 11.2.5.6 Gal.5.2.4

Mat.5.2.7 Luc.6.e.36 Iacob.2.b.13

M. Nullúsne ergò veniæ locus apud Deum ijs relinquitur, qui ad ignoscendum, & ad offensiónes deponendas implacabiles sese, inexpiabilesq; alijs præbent?

A. Nullus omninò: id quod cum * alijs multis sacræ scripturæ locis testatum est atque manifestum, tum parabola illa Euangelica de seruo, qui cùm Domino suo decies mille talenta deberet, ipse interim conseruo debitori, centum quos illi crediderat denarios, condonare recusauit, præclarè nos admonet: † ad eandem enim seueritatis regulam, atque idem exemplum, iudicium sine misericordia in illum constituetur, qui ad lenitatem atque

Mat.6.b.14.15. & 18.c.24.d.28. 29.33.34

Mat.7.2.2.3 Luc.6.e.37.38 Iacob.2.b.13

misseri-

misericordiam erga alios mentem suam reuocare nescit.

M. Litésne in foro, de iure & iniuria, hîc damnari existimas?

A. Animum * vindicem atque vltorem iniuriarum verbum Dei certè condemnat: videant ergò litigatores, qua mente litem cuiquam intendant. † Leges tamen & instituta iuris publici: & illorum vsus legitimus, id est, ad iustitiæ & charitatis normam directus, Euangelio Christi minimè aut tolluntur, aut damnantur. In hac verò precationis Dominicæ parte, ad Christianæ lenitatis, & dilectionis regulam mentes nostræ exiguntur, * ne scilicet à malo vinci, id est, aliorum culpa eò nos adduci sinamus, vt malum malo rependere velimus, sed vt bono malum vincamus potiùs: hoc est, maleficia benefactis pensemus, beneuolentiámq; erga inimicos atque hostes etiam immanes, & capitales habeamus atque conseruemus.

Rom.12.d.19.20 Heb.10.f.30 † Rom.13.a.1.b.4.6.&c. Tit.3.a.1 1.Pet.2.c.13 Mat.5.f.39.g.44 Luc.6.d.27.28 Rom.12.d.14 17.18.19.20

M. Perge porrò ad sextam petitionem.

A. Ea precamur, NE NOS INDVCAT IN TENTATIONEM, SED A' MALO LIBERET. Nam vt antè præteritorum veniam petimus, ita nunc ne † amplius peccemus, oramus. Mille formidines opponuntur, * mille intenduntur pericula, mille nobis insidiæ comparantur, atque collocantur. Nos verò natura † imbecilles, ad præcauendum incauti, ad resistendum ita infirmi sumus, vt minimis momentis, atque occasionibus leuissimis in fraudem impellamur, feramurq; præcipites.

Mat.12.d.43.44.45 Ioh.5.b.14.& 8.b.11 2.Pet.2.d.20.21.22 * Mat.10.b.16.17.&c. Ephes.6.c.12.&c 1.Pet.5.c.8.9 † Mat.26.d.41. 1.Cor.1.d.27

M. Perge.

Mat.10.b.16
Luc.16.b.8.& 22.d.31.32
† Iac.1.b.14.& 4.a.1
1.Ioh.2.c.16
* Gen.3.a.1.&c 2.Cor.11.a.3 Apoc.12.a.4.& 20.a.2
† 1.Pet.5.c.8
* Ephes.6.b.11

A. Quum ergò & ab hominibus * astutis atq; violentis,& à concupiscentia † atque appetitione propria,à carnis,mundi huius, atq; corruptelarum omnium illecebris: super omnia verò,à fallaci illo, vafro, & veteratore * serpente, id est, diabolo, qui, rapidi † leonis instar, quærens quem deuoret, cum alijs infinitis malitiosis * spiritibus mille nocendi artibus ad perniciem instructis, perpetuò capitibus nostris imminet, vehementissimè assidueq; oppugnemur, adeoq; , qua sumus ipsi infirmitate, statim concideremus, planeq; de nobis actum foret: confugientes ad fidem † Opt.Max.patris, eum oramus, ne nos in his difficultatibus & periculis deserat atque destituat, sed vt sua nos virtute * ita armet,vt contra carnis nostræ cupiditates,huius mundi illecebras,& Satanæ vim atque impetum non resistere modò & repugnare, sed illos vincere etiam atq; superare valeamus: itaq; animas nostras à † vitijs atq; flagitijs auocet,ne in illa delabamur,aut in officio labamur vnquam,sed in optimi pariter atque potentissimi patris * tutela, & præsidio tutò,& sinè metu perpetuò lateamus.

Ioh.16.g.33
1.Ioh.4.2.4.& 5.b.4
* Rom.16.d.20 Ephes.6.b.10
2.Tim.4.d.17.18

Rom.8.a.1.4.6. &c.
1.Pet.4.a.1

* Psal.91.a.1. &c.toto & 121. toto.

M. Satanæ igitur astutiam atque impetum, mundi huius insidias & præstigias,ac carnis nostræ corruptelas atque illecebras, quibus animi nostri ad peccatum solicitantur,atq; irretiti tenentur, tentationis nomine significas?

A. Sanè præceptor.

M. Quum tamen tentationum quasi laqueis homines

mines captare atque implicare † Satanæ proprium sit, cur, ne Deus te in tentationem inducat, precaris? Act.5.2.3 1.Cor.7.2.5

A. Deus vt † suos, ne Satanæ fraudibus illaqueati, in vitia atque flagitia delabantur, tutatur & conservat: ita impijs opem atque auxilium suum * subducit atque subtrahit, quo destituti, cupiditate cœci, ac præcipites omnibus insidijs circumueniuntur, & in omne feruntur nefas: tandemq; consuetudine scelerum, quasi obducto † callo, animi illis obdurescunt, atque ita Satanæ tyranno mancipati, & in seruitutem addicti, in perniciem atque interitū sempiternum ruunt. Luc.22.d.31.32 1.Cor.15.b.10 2.Cor.12.b.9 Eph.6.b.10.11 2.Tim.4.d.17.18 * 1.Reg.16.c.14 Gal.5.2.4 1.Pet.5.2.5 Iudæ.1.2.1 † Esa.6.b.10 2.Cor.4.2.3.4 Ephes.4.d.18.19

M. Supereſt adhuc Dominicæ precationis appendix quædam.

A. QVONIAM TVVM EST REGNVM, ET POTENTIA, ET GLORIA IN SECVLA. AMEN.

M. Cur Christus hanc conclusionem addi voluit?

A. Primùm, vt certam nobis fiduciam impetrandi, quæ antea postulauimus omnia, in eius bonitate, & potentia, * non in vllis nostris, aut aliorum meritis sitam esse intelligeremus. Nihil enim esse, quod is qui † orbem terrarum regit & gubernat, in cuius ditione atque potestate sunt vniuersa, qui ampliſſima atque immortali gloria clariſſimus, super alios omnes infinitè excellit, * petentibus nobis dare vel non possit, vel nolit, modò rectè, & certa fide rogetur, his verbis declaratur: vt nulla iam in animis nostris dubitatio relinquatur ampliùs: id quod etiam addita ad precationis finem Pſal.3.2.3.b.8 Oſe.13.b.9 Ioh.10.f.18 † Pſal.22.d.27.& 24.2.1.&c.b.7. &c.& 29.2.1.2. &c.& 47.toto.& 95.2.3.4.&c 1.Tim.6.c.15.16 * Mat.7.b.10.& 21.c.22 Ioh.16.c.23 Iacob.1.2.6

2.Cor.1.d.20 vox, † AMEN declarat atque confirmat. Præterea
† Psal.115.a.3 verò, quum soluis Deus quæcunque decreuit, pro
2.Cor.9.c.8 sua voluntate † largire possit, ab vno illo vniuersa
Ephes.3.d.20 hæc & peti debere, & impetrari posse clarissimè ap-
1.Tim.6.c.15 paret: * nullumq; periculum, aut malum nostrum
* 2.Cor.1.b.8.9. vsque adeò magnum esse, quod is incredibili po-
10. tentia, sapientia, & bonitate sua vincere, & à no-
2.Tim.4.d.17 bis depellere, atque ad salutem etiam conuertere
Iudæ.24 facillimè non possit.

M. Gloriæ Diuinæ qua de causa in extrema parte fit mentio?

A. Vt omnes precationes nostras Dei laudibus claudere instituamur: is enim est † finis ad quem referenda sunt vniuersa: is exitus, ad quem non precationes solùm, sed & actiones nostræ, cogitationesq; omnes perueniant, nobis hominibus Christianis semper propositus esse debet, vt Dei gloria quàm maximè amplificetur, atque illustris reddatur: vtcunq; interim inter mortales, quorum animis Christiana religio non est infixa, vix inueniatur, qui laboribus susceptis, periculisq; aditis,

Finis omnium Dei gloria.
1.Cor.10.g.31
Ephes.3.d.20.21
Phil.1.b.11
1.Tim.1.d.17
Iudæ.25

Mat.6.a.1.2.3.4. &c.
Gal.5.d.26
Phil.2.a.3.& 3.d.19

* non quasi mercedem rerum gestarum suarumq; virtutum desideret gloriam, qua tamen, vt non vera solidaq; gloria, sed inani venditatione atque ostentatione, vehementer suis grauiterq; interdicit Dominus.

M. Precationis ergò tractatui quædam de Dei laudibus, & gratiarum actione aptè atque opportunè subiungemus?

Rom.1.a.8.b.10
2.Cor.1.b.11
Ephes.1.c.15
Phil.1.a.3.4

A. † Aptissimè sanè: neque enim in extremo tan-

tùm

tùm precationis Dominicę fine, gloria Dei memoratur, ſed ipſum etiam principium eius à gloria laudibuſq; diuinis ducitur. Quum enim optamus, vt Dei nomen ſanctificetur, quid optamus aliud quàm vt ipſi ex omnibus eius operibus ſua conſtet gloria? videlicet, vt peccatoribus condonans, * miſericors: in impios † animaduertens, iuſtus: pręſtans quod promiſit, * verax: indignos beneficijs quotidianis cumulans, † optimus benigniſſimuſq; cenſeatur: vt quicquid * operum eius vel cernimus, vel intelligimus, eo ad eius gloriam laudibus amplificandam excitemur. Ita gloriam ſuam, cum ſui inuocatione Deus voluit eſſe coniunctiſſimam. Par enim eſt, vt ſicuti † difficultatibus affecti atque afflicti, ad Dei opem atque miſericordiam ſupplices confugimus, ita malorum atque moleſtiarum liberationem non per cuiuis conſequi, eumq; bonorum omnium vnicum nobis authorem eſſe ingenuè agnoſcamus. Nam à quo veniam bonaq; omnia precamur, danti illi gratiam non habere atque agere, ſumma profectò eſſet ingratitudo. Meritam ergò Deo immortali gratiam meliori mente, & iuſtis honoribus perſoluere perpetuò debemus.

Vide pag. 111

* Pſal. 51. a. 1
† Rom. 1. c. 18
* Rom. 3. a. 3. 4
† Pſal. 65. c. 9. & c & 68. b. 5. & c
* Pſal. 19. a. 1. 2.
Pſal. 34. a. 1. 2. & 50. c. 14. 15. d. 23.
1. Theſ. 1. a. 2. & 5. d. 18
2. Theſ. 1. a. 2. 3
Pſal. 92. a. 1. & 95. 96. 103. totis.

M. Perge.

A. Prætereà verò Diuinam bonitatem, iuſtitiam, ſapientiam, potentiam † laudibus proſequi & celebrare, illiq; noſtro, ac totius humani generis nomine, grates agere, eſt cultus Dei pars, ad eius maieſtatem æquè ac inuocatio propriè pertinens: qua niſi eum ritè colamus, non ſolùm indigni eius

† Pſal. 29. a. 1. 2. & 50. c. 14. 15. d. 23
Rom. 15. b. 6.

Luc.17.c.17 Ioh.5.d.44 Rom.1.c.21.d.25 1.Pet.4.c.11

* tot tantisq; beneficijs, vt ingrati, sed & æterni supplicijs, vt in Deum impij, dignissimi profectò eramus.

M. Quùm ab hominibus etiam beneficia accipiamus, an non & illis gratias agere fas erit?

1.Cor.11.a.6. b.12 2.Cor.9.c.9.d.12 1.Pet.4.c.10.11

A. Quæcunq; nobis beneficia homines deferunt, * ea Deo acccpta referre debemus: quòd vnus ille reuera hominum ea ministerio largiatur. Ob quam etiam causam, tametsi homines benefici & liberales esse non debent, vt gratiam exigant, sed vt † Dei gloriam illustrent, illis tamen, qui * benignitate adducti, per beneficium & gratiam aliquid nobis concedunt, gratias agere quid ni licebit, quum & ipsa id postulet † æquitas, & ita humanitatis lege astringamur? Sed & Deus ipse hac nos illis ratione deuinciens, hos idipsum vult agnoscere.

Mat.5.c.16 1.Pet.2.c.12 * Psal.16.a.3

Mat.5.g.43. 46.47 Luc.6.d.32.33. 34. Act.24.a.2.3

M. Gratum ergò animum etiam in homines probas?

A. Maximè: quum gratitudo, vt ita loquar, ergà homines nostra, ad Deum ipsum redeat, quòd à liberalitatis Diuinæ fonte, quasi quadam riuulorum deductione, † bona sua per manus hominum Deus in nos deriuet. Itaq; ni hominibus nos gratos præbeamus, in ipsum etiam Deum ingrati eramus. Tantùm hoc curemus, vt ad Deum ipsum, tanquam ad bonorum omnium authorem atque fontem vnicum, * solida, sua gloria redeat, atque redundet.

1.Cor.12.a.6. b.11. 1.Pet.4.c.10.11

Psal.115.a.1 Mat.5.c.16 2.Cor.4.d.15.& 9.c.9.d.11.12.13 1.Pet.2.c.12.

M. Equa est norma atque præscriptio, quam

dum

dum Deum gloria & honore afficimus, aut illi gratias agimus, certò sequi possumus?

A. Innumeræ Dei laudes passim in eius * verbo descriptæ extant, à quarum regula si non aberrabimus, habebimus quod in sua Deo gloria & honore deferendo, atque in gratiarum actione perpetuò sequamur. In summa verò, quum Deum † non Dominum solùm, sed patrem etiam ac seruatorem nostrum esse, nosq; vicissim eius esse filios, atque seruos scripturæ sacræ doceant, æquissimum est, * vitam nos omnem amplificandæ illius gloriæ addicere, debitum ipsi honorem reddere, eum colere, precari, venerari, gratias illi perpetuò & habere & agere: quum in hunc † finem ab eo conditi simus, & in hoc mundo collocati, vt immortalis ipsius gloria splendorem inter mortales maximum obtinere, & ad summam amplitudinem peruenire posset.

M. Maxime in Lib. Psalm.
Deu.10.d.17.20. & 28.f.58
Mal.1.a.6.7.& 2.b.10
* Psal.29.a.1.2. & 34.a.1.2.& 92. a.1.& 103.toto
Rom.15.b.6
† Pro.16.a.4
Esa.43.b.7
Rom.11.c.36
Coloss.1.c.16

Quarta pars, de Sacramentis.

M. Absoluta iam legis Diuinæ, Symboliq;, id est, confessionis Christianæ, precationis item, & gratiarum actionis tractatione, superest iam, vt de Sacramentis, mysterijsq; Diuinis, quæ precationem & gratiarum actionem semper coniunctam habent, vltimo loco dicatur. Dic igitur mihi, quid est Sacramentum?

Transitio.

A. * Est externa Diuinæ erga nos per Christum beneuolentiæ beneficentiæq; testificatio, signo aspectabili arcanam, spiritualemq; gratiam repræsentans

Mat.3.c.11.& 26.c.26.& 28.d. 19.
Ioh.3.a.5

Act.2.f.38 Rom.6.2.3.4 1.Cor.10.d.16 & 11.c.24.&c Gal.3.d.27 1.Pet.2.d.21

sentans, qua Dei promissiones de remissione peccatorum, & æterna salute per Christum data, quasi consignantur, & earum veritas in cordibus nostris certius confirmatur.

M. Sacramentum quot partibus constat?

Mat.26.c.26 Ioh.3.2.5 Act.2.f.38 Gal.3.d.26.27

A. Duabus: externo † elemento, seu signo aspectabili, & interiore gratia, quæ oculis non cernitur.

M. Cur Deus ita externis signis nos vti voluit?

A. Nos quidem mente, atque intelligentia adeò cœlesti Diuinaq; præditi non sumus, vt nobis angelorum instar Diuinæ gratiæ purè per se appareant: hac ergò ratione infirmitati nostræ consuluit Deus, vt qui terreni sumus atque cœci, in externis elementis & figuris, quasi speculis quibusdam cœlestes gratias, quas alioqui non cerneremus, intueremur: & id nostra maximè refert, vt sensibus etiam nostris Dei promissiones ingerantur, quò mentibus nostris sine vlla dubitatione confirmentur.

M. At promissionibus Diuinis certam fidem non adiungere, nisi eiusmodi subsidijs fulciamur, an non infidelitatis in nobis manifestum est argumentum?

Mat.6.d.30.& 8. c.28.& 16.a.8

A. *Exigua quidem atque imperfecta fide, quoad in hoc mundo versamur, præditi sumus, neque tamen fideles esse desinimus: reliquiæ enim diffidentiæ, quæ semper in carne nostra hærent, imbecillitatem fidei indicant, † sed eam tamen non prorsus extinguunt. Has quùm omninò excutere non possi-

Luc.17.a.5 Act.16.a.5 Rom.1.b.17.& 14.a.1

mus

mus, est tamen cõtinuo profectu, vsq; ad vitæ finem, ad fidei † perfectionem contendendum, in quo nos conatu Sacramentorum vsus plurimùm subleuat. 1.Cor.9.d.24 2.Cor.5.b.7.8 Heb.6.a.1

M. Ecqua alia causa subest, quare Dominus externorum etiam signorum vsum adhiberi voluerit?

A. Dominus mysteria sua in hunc præterea vsum instituit, vt * professionis nostræ notæ, atque indicia quædam essent, quibus de fide nostra quasi testimonium coram hominibus diceremus, patefaceremusq; nos cum alijs pijs Diuinorum beneficiorum participes esse, & vnum cum illis religionis quasi cõcentum, atque consensum habere, Christianiq; † nominis, atque appellationis discipulorum Christi nos minimè pudere palàm testificaremur. Mat.26.c.26.& 27.d.17 Act.2.f.38.41 1.Cor.11.d.20 Ephes.4.a.5 Ioh.9.c.22.& 12. f.42.& 19.g.38 Act.11.d.26 1.Pet.4.d.16

M. Quid ergò de illis iudicas, qui mysterijs Diuinis tanquam minùs necessarijs, carere se posse censent?

A. Primùm, huic in Deum patrem, ac seruatorem nostrum Iesum Christum, atq; eius etiam Ecclesiam officio tam pio atque debito deesse sine * summo scelere non possunt. Nam quid hoc aliud esset, quàm Christum obliquè abnegare? Et qui se Christianum † profiteri non dignatur, indignus est, qui in Christianorum numero habeatur. Deindè, si qui sacramentorum vsum, ac si opus ijs * non haberent, aspernarentur, non modò arrogantiæ summæ, sed & impietatis etiam in Deum merito damnari debere existimo: quùm non suæ tantùm infirmitatis subsidia, sed & Deũ ipsorũ authorem contemnãt, ipsius Ioh.3.a.5 Luc.14.d.18. c.24 1.Cor.11.d.20 † Mat.10.d.33 Mar.8.d.38 * Ioh.3.a.5 Luc.14.c.24

2.Cor.6.a.1
1.Thes.5.c.19

† gratiam respuant, & spiritum, quantum in ipsis est, extinguant.

M. De visibilibus quidem signis, & externo Sacramentorum vsu rationem intelligis: sed quod secundo loco vim atque efficaciam consignandi confirmandiq; in cordibus nostris promissiones diuinas Sacramentis tribuis, videris officia spiritus sancti propria, illis assignare.

Luc.12.b.12
Ioh.1.d.33.& 6.g.63.& 14.b.17.d.26
1.Cor.12.a.4.6. &c.

A. * Mentes quidem atque animos humanos illustrare, atque illuminare, conscientias item tranquillas atque securas reddere, vt reuera sunt, ita & censeri debent solius spiritus Dei proprium opus, illiq; accepta referri, ne laus hæc aliò transferatur. Verùm hoc nihil obstat, quin mysterijs suis secundas partes in animis atque conscientijs nostris tranquillandis atque stabiliendis Deus tribuat: sed ita tamen, vt spiritus sui virtuti nihil detrahatur. Quare statuamus oportet, externum elementum neque † ex seipso, neque in seipso vim atque efficacitatem Sacramenti inclusam habere, sed totam à spiritu Dei, vt è fonte manare, & per Diuina mysteria, quæ in hunc vsum à Domino sunt instituta, ad nos deriuari.

Ioh.1.d.33
Act.1.a.5. & 10.g.47

M. Quot in Ecclesia sua Sacramenta instituit Dominus?

A. Duo.

M. Quæ?

Mat.26.c.26 & 28.d.19
Ioh.3.a.5. & 6.f.35
Tit.3.b.5

A. *Baptismum, & sacram Cœnam: quorum communis est inter omnes fideles vsus. Altero enim renascimur

nascimur, altero sustentamur ad vitam æternam.

M. De Baptismo ergò primùm dic quid censeas.

A. Quum natura † filij iræ, id est, alieni ab Ecclesia, quæ Dei familia est, simus, Baptismus veluti *aditus quidam nobis est, per quem in eam admittimur: vnde & testimonium etiam amplissimum accipimus, † in numero domesticorum, adeòq; filiorum Dei nos iam esse: immò in Christi ↓ corpus quasi cooptari, atque inseri, eiusq; membra fieri, & in vnum cum ipso corpus coalescere. *Baptismi descriptio.* Ephes.2.a.3 * Mat.28.d.19 Mar.16.d.16 Ioh.3.a.5 Tit.3.b.5 † Rom.8.b.15. 16.17 Ephes.2.d.18 ↓ 1.Cor.6.c.15.& 12.d.27 Gal.3.d.27

M. Sacramentum antea dicebas duabus constare partibus, signo externo, & arcana gratia. Quod est in baptismo signum externum? Ephes.4.c.15.16. & 5.g.30

A. * Aqua, in quam baptizatus intingitur, vel ea aspergitur, IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. * Mat.3.d.16.& 28.d.19 Ioh.3.a.5.c.23 Act.8.36.38.

M. Quæ est arcana & spiritualis gratia?

A. Ea duplex est: remissio † videlicet peccatorum, & regeneratio, quæ vtraq; in externo illo signo, solidam & expressam effigiem suam tenent. Mar.1.a.4 Ioh.3.a.5 Act.2.f.38 Tit.3.b.5

M. Quomodo?

A. Primùm, quemadmodum sordes corporis aqua, ita animæ * maculæ per remissionem peccatorum eluuntur: ↓ deinde regenerationis initium, id est naturæ nostræ mortificatio, vel immersione in aquam, vel eius aspersione exprimitur. Postremò verò, quum ab aqua, quam ad momentum subimus, statim emergimus, noua vita, quæ est rege- Act.22.c.16 Ephes.5.d.26 Tit.3.b.5.6 ↓ Ioh.3.a.5 Rom.6.a.3.5.b. 6.7.&c Tit.3.b.

nerationis nostræ pars altera, atque finis repræsentatur.

M. Videris aquam effigiem tantùm quãdam rerum Diuinarum efficere.

Ioh.3.a.5 Act.22.c.16 Ephes.5.d.26 Tit.3.b.5

A. †Effigies quidem est, sed minimè inanis, aut fallax: vt cui rerum ipsarum veritas adiuncta sit atque annexa. Nam sicuti Deus peccatorum condonationem, & vitæ nouitatem nobis verè in baptismo offert, ita à nobis certò recipiuntur. *Absit enim vt Deum vanis nos imaginibus ludere atque frustrari putemus.

Ioh.14.a.6.b.17 Rom.3.a.4 Heb.10.d.23

M. Non ergò remissionem peccatorum externa aquæ lauatione aut aspersione consequimur?

Mat.26.c.28 Ephes.1.b.7.& 5.d.25 Col.1.c.14.20 Tit.3.b.5.6 Apoc.1.b.5

A. Minimè. Nam solus Christus † sanguine suo animarum nostrarum maculas luit atq; eluit. Hunc ergò honorem externo elemento tribuere nefas est. Verùm Spiritus sanctus *conscientias nostras sacro illo sanguine quasi aspergens, absterſis omnibus peccati sordibus, puros nos coram Deo reddit. Huius verò peccatorum nostrorum expiationis obsignationem atque pignus in Sacramento habemus.

*Ioh.3.a.5 Rom.8.b.15.16 Heb.9.d.14.& 10.d.22

M. Regenerationem verò vnde habemus?

A. Non aliundè quàm à morte & resurrectione Christi: † nam per mortis suę vim vetus homo noster quodammodo crucifigitur & mortificatur, & naturæ nostræ vitiositas quasi sepelitur, ne amplius in nobis viuat & vigeat. Resurrectionis verò suę beneficio nobis largitur, vt in nouam vitam ad obediendum Dei iustitiæ reformemur.

Rom.6.a.5.&c. toto.

M.

M. An gratiam hanc omnes communiter & promiscuè consequuntur?

A. *Soli fideles hunc fructum percipiunt: increduli verò oblatas illic à Deo promissiones respuendo, aditum sibi præcludentes, inanes abeunt, non tamen ideò efficiunt, vt suam Sacramenta vim & naturam amittant. Mar.16.d.16 Ioh.3.b.12.& 3. b.16.c.18

M. Rectus ergò Baptismi vsus quibus in rebus sit situs, breuiter edissere.

A. In fide & pœnitentia. † Primùm enim Christi nos sanguine à cunctis purgatos sordibus Deo gratos esse, spiritumq; eius in nobis habitare certa fiducia cum animis nostris statutum habere oportet. Deindè in carne nostra *mortificanda, obediendoq; iustitiæ Diuinę, assiduè omni ope & opera est enitendum, & pia vita apud omnes declarandum nos in Baptismo Christum ipsum quasi † induisse, & eius spiritu donatos esse. Mat.16.c.28 Mar.16.b.16 Rom.8.b.9.11.c. 15.16.17 Ephes.1.b.7.& 5.d.25.26 Col.1.c.14.20 * Rom.6.2.3.&c. b.6.11.&c.c.13. d.19.& 8.b.13 Ephes.4.f.24 Colos.3.a.5 † Rom.13.d.14 Gal.3.d.26.27

M. Quùm infantes hæc, quæ commemoras hactenus per ætatem præstare non possint, quî fit vt illi baptizentur?

A. Vt fides & pœnitentia baptismum præcedant, tantùm in adultis, † qui per ætatem sunt vtriusq; capaces, exigitur: infantibus verò promissio * Ecclesię facta per Christum, in cuius fide † baptizantur, in præsens satis erit, deinde postquam adoleuerint, baptismi sui veritatem ipsos agnoscere, eiusq; vim in animis eorum vigere, atque ipsorum vita, & moribus repręsentari omninò oportet. Mar.16.d.16 Ioh.3.b.16.c.18 * Rom.3.2.3.& 4.d.21.22.24 Heb.10.d.23 † Mat.28.d.19

M. Vnde nobis constabit, infantes à baptismo arcendos non esse?

Rom.3.2.c.4.& 4.d.21
Heb.10.d.23
† Gen.17.b.10. 11.12.&c
Luc.1.f.59.& 2. c.21
Act.7.2.8
Phil.3.2.5

A. Quum Deus,* qui nunquam à veritate deflectit, neq; à recta via vsquam declinat, infantes † in Ecclesia Iudaica à Circumcisione non excluserit, neque nostri infantes à baptismo repellendi sunt.

M. Itáne similia ista, eandemq; vtrisq; causam atq; rationem subesse putas?

Deu.10.d.16.& 30.b.6
Ierem.4.2.4
† Rom.2.d.28. 29.& 4.b.11
Gen.17.2.7.b. 10.11.12.&c

A. Omnino. Nam Circumcisionem pœnitentiæ signum fuisse, vt Moses*& Prophetę omnes testantur, ita diuus Paulus † eam fidei Sacramentum esse docet. Nihilò minùs tamen pueri *Iudaici fidei adhuc, & pœnitentiæ per ætatem minimè capaces circumcidebantur: quo aspectabili signo Deus patrem se paruulorum, & seminis populi sui esse, in veteri testamento ostendebat. Quum verò constet

Act.2.c.17.18 & 10.g.45
2.Cor.3.b.6.7.8. 9.&c
Gal.3.c.23.24
Tit.3.b.5.6

Dei gratiam & abundantiùs in nos effusam, & luculentiùs declaratam in Euangelio per Christum esse, quàm olim in veteri testamento per Mosen fuerat, indignum foret, si ea vel obscurior, vel aliqua ex parte imminuta videretur.

M. Perge adhuc.

Mat.18.2.3.4.b. 10.& 19.b.14
Luc.18.b.15.16. 17.
Rom.4.c.16.d. 23.24
1.Pet.2.2.3

A. Cùm infantes nostros vim, & quasi substantiam baptismi communem nobiscum habere certum sit, illis iniuria fieret, si signum, quod veritate est inferius, ipsis negaretur: eoq;, quod ad testandam Dei misericordiam, confirmandasq; eius promissiones plurimùm valet, sublato, eximia consolatione, qua veteres fruebantur, Christiani fraudarentur:

darentur : duriuſq; cum noſtris paruulis in nouo Teſtamento ſub Chriſto ageretur, quàm in veteri cum Iudæorum infantibus ſub Moſe actum fuerat. Itaq; æquiſſimum eſt, vt paruulis noſtris Diuinę gratię, atque ſalutis fidelium ſemini promiſſę hęredes ſe eſſe, baptiſmo, impreſſo quaſi ſigillo teſtatum fiat. Rom.4.c.16.d. 23.24

M. Ecquid eſt amplius, quod de hac re velis dicere?

A. *Quùm Chriſtus Dominus infantes ad ſe vocet, edicat etiam ne quis eos acceſſu prohibeat, ad ſe venientes amplectatur, ad eos regnum cœleſte pertinere teſtetur: quos cœleſti palatio Deus dignatur, eos ab hominibus primo aditu veſtibuloq; prohiberi, & à Chriſtiana Repub. quodam modo excludi, ſumma videtur eſſe iniquitas. Mat.18.a.3.4.b. 10.& 19.b.14 Mar.10.b.13. 14.15

M. Ita eſt: verùm quùm anteà paruulos poſtquam adoleuerint, baptiſmi ſui veritatem agnoſcere debere dixeris, de eo te velim paulò explicatiùs nunc dicere.

A. Parentes & pædagogi pueros olim cùm primùm per ætatem ſapere, & intelligere cœpiſſent, primis Chriſtianæ religionis rudimentis diligenter inſtituebant, vt pietatem vnà penè cum lacte nutricis imbiberent, & à primis ſtatim cunis, virtutis incunabulis ad vitam illam beatam alerentur. Quem etiam ad vſum breues libri, quos Catechiſmos noſtri appellant, conſcribebantur: in quibus eadem ferè iſta, de quibus nunc inter nos agitur, aut iſtis certè ſimilia tractabantur. Poſtquam verò

primis nostræ pietatis elementis pueri satis iam initiari videbantur, eos Episcopo sistebant atque offerebant.

M. Quorsum nam istuc?

A. Vt idem hoc ipsum pueri post Baptismum præstarent, quod adulti olim, qui & Catechumeni appellabantur, ante baptismum, vel in ipso potius baptismo præstare sunt soliti. Episcopus enim rationem religionis à pueris exquirebat: pueri fidei suæ rationem Episcopo reddebant: quos verò in religionis scientia progressus iam satis magnos fecisse Episcopus putabat, eos approbabat: & imposita illis manu, benè precatus dimittebat. Hanc Episcopi approbationem benedictionemq;, nostri Confirmationem appellant.

M. At alia nuper vsitata erat confirmationis ratio.

A. In locum huius vtilissimæ & antiquissimę confirmationis suum commentum supposuerant, vt Episcopi videlicet, non de pueris, an religionis præceptis imbuti essent, cognoscerent, sed vt infantes adhuc fari nescios, nedum ad rationem fidei reddendum idoneos, oleo vngerent: additis alijs etiam cæremonijs sacræ scripturę & veteri Ecclesię incognitis. Hoc suum inuentum Sacramentum esse voluerunt, & dignitate cum Baptismo tantùm non exequabant, prętulerunt etiam illi eorum aliqui. Omninò voluerũt confirmationem hãc suam baptismi quasi supplementum quoddam esse, vt ea absolueretur, atq; ad exitum perduceretur: quasi alioqui imperfectus esset baptismus, pueriq; qui

Chri-

Christum cum suis donis in baptismo iam induissent, sine ea semichristiani essent: qua iniuria Diuino sacramento, Deoq; adeò ipsi, ac Christo seruatori sacri baptismi authori, nulla maior fieri vnquam potuit.

M. Optandum ergò, vt vetus ille inquirendi in pueros mos atque ratio reuocaretur.

A. Maximè: sic enim parentes cogerentur ad satisfaciendum suo in liberis piè instituendis officio, quod hodiè plerique planè prętermittunt atque repudiant: quas officij sui partes si vel parentes, vel præceptores hodiè susciperent, prestarent atque persoluerent, mirus esset religionis fideiq; Christianę consensus atque concentus, qui nunc miserandum in modum diuulsus est: certè non sic aut ignorantiæ tenebris offusa, obductaq; iacerent, aut variarum dissidentiumq; opinionum dissentionibus disturbarentur, dissoluerentur, atque dissiparentur vniuersa, ita vt hodiè fieri videmus: de quo miserabili casu, omnibus bonis maximè dolendum est.

M. Verissimum quidem est, quod dicis: Iam, quæ Cœnæ Dominicæ sit ratio, edissere. *Cœna Dominica.*

A. Eadem nimirùm, † quam Christus Dominus instituit: qui ea, qua traditus est, nocte, ACCEPIT PANEM, ET POSTQVAM GRATIAS EGISSET, FREGIT, ET DEDIT DISCIPVLIS SVIS, DICENS: ACCIPITE, EDITE: HOC EST CORPVS MEVM, QVOD PRO VOBIS FRANGITVR: HOC FACITE IN MEI COMMEMORATIONEM. AD EVNDEM MODVM ET PO- 1.Cor.11.c.23. 24.&c. Mat.26.c.26 Mar.14.c.22. &c Luc.22.c.19.&c

CVLVM, PERACTA COENA, ACCEPIT, ET QVVM GRATIAS EGISSET, DEDIT EIS DICENS: BIBITE EX HOC OMNES: HIC EST ENIM SANGVIS MEVS NOVI TESTAMENTI, QVI PRO VOBIS, ET PRO MVLTIS EFFVNDITVR, IN REMISSIONEM PECCATORVM, HOC FACITE, QVOTIESCVNQVE BIBERITIS, IN MEI COMMEMORATIONEM. QVOTIESCVNQVE ENIM COMEDERITIS HVNC PANEM, ET DE POCVLO BIBERITIS, MORTEM DOMINI ANNVNCIABITIS, DONEC VENERIT. Hæc est Cœnæ Dominicę forma atque ratio, quam quoad ipse venerit, tenere & sanctè obseruare oportet.

M. In quem vsum?

Luc.22.c. 19 1.Cor.11.c.24. f.26

A. *Vt mortis Domini, summiq; beneficij illius, quo per eam affecti sumus, gratam perpetuò memoriam celebremus & retineamus: & sicuti in Baptismo semel renati sumus, ita Cœna Dominica ad vitam spiritualem atque sempiternam continenter alamur, atque sustentemur.

M. Baptismo ergò semel tantùm initiari, vt & semel nasci, satis esse dicis: at Cœnę Dominicę perinde atque alimenti vsum, identidem esse repetendum affirmas?

A. Sanè præceptor.

M. Duásne etiam in hoc sacramento, vt in Baptismo, partes esse dicis?

Mat.26.c.26. 27.29

A. Ita. Panem nempè, & vinum externa signa, quæ

quæ oculis cernuntur, attrectantur manibus, gustu percipiuntur: & † Christum ipsum, quo animæ nostræ, vt proprio suo alimento interiùs nutriuntur. Luc.22.c.19 1.Cor.11.c.23. 24.25.f.26.27.28 † Ioh.6.d.35.c. 48.50.51.f.53. &c

M. Et omnes peræquè vtraq; sacramenti parte vti debere dicis?

A. Certè præceptor: nam cùm Dominus ita disertè * præceperit, de eius mandato vlla ex parte derogare summum esset nefas. Mat.26.c.27 Mar.14.c.23

M. Cur duo signa adhiberi hîc Dominus voluit?

A. Primùm, quò mortis suæ, quam lacero corpore, * & perfosso latere, ac toto sanguine effuso perpessus est, expressior esset imago: & vt eius memoria animis nostris infixa, altius hæreret, vtriusq; corporis pariter atque sanguinis signum seperatim exhibuit. Deinde, vt infirmitati nostræ consuleret Dominus, atque mederetur, manifestoq; declararet, sicuti panis ad corpora nutrienda, ita & corpus suum ad animas nostras spiritualiter alendas, vim atque efficacitatem summam habere: & sicut vino hominum corda exhilarantur, & roborantur vires, ita sanguine suo animas nostras refici atque recreari: vt non * cibum modò se, sed & potum etiam nostrum esse, certò statuentes, nusquam, nisi in ipso solo nutrimenti spiritualis, atque sempiternæ vitæ partem vllam queramus. Ioh.19.f.34 Ioh.6.e.50.f. 55.56 Ioh.6.d.35.f.53. 54.55.&c

M. Beneficiorum ergò, quæ commemorasti, non imago tantùm, sed & ipsa veritas in Cœna exhibetur?

A. Quid ni? Quùm enim Christus ipsa sit * veri- Ioh.1.b.17.& 14.2.6

tas, non dubium est, quin quod verbis testatur, & signis repræsentat, id reuera etiam præstet, & nobis exhibeat: quodq; sibi fidentes tam certò faciat corporis atque sanguinis sui participes, quàm certò se panem atque vinum ore & ventriculo recepisse sciunt.

Ioh.5.f.54.g. 36.64

M. Quùm nos in terris versemur, Christi verò corpus in cœlo sit: quomodò fieri potest, quod dicis?

A. Mentes atque animos humo excitare, * & in cœlum, vbi Christus est, per fidem erigere debemus.

Ioh.6.g.62.64 Col.3.a.1 Hebr.4.d.14.19

M. Recipiendi ergò corporis & sanguinis Dominici rationem, fide constare dicis?

A. Sanè. Nam quùm mortuum Christum † credimus, quò nos à morte liberaret: excitatum item, quò nobis vitam acquireret: redemptionis per mortem suam partæ, ac vitæ, omniumq; adeò suorum bonorum participes nos habet, eaq; coniunctione, qua caput, & ‡ sua membra inter se cohærét, arcana, mirificaq; spiritus sui virtute sibi copulat: ita vt nos corporis sui membra, & ex eius carne atque ossibus simus, & in vnum cum ipso corpus coalescamus.

Ioh.6.d.35. Act.4.b.10.12. Rom.4.d.24.26 & 5.b.8.& 14. b.9.

1.Cor.6.c.15.& 12.d.27 Ephes.4.c.15.16. & 5.d.30.

M. An ergò vt ista coniunctio efficiatur, panem & vinum in substantiam carnis & sanguinis Christi mutari imaginaris?

A. Nihil opus est huiusmodi mutationem comminisci. Nam & sacræ literæ, & optimi atque antiquissimi etiam interpretes docent per baptismum

* itidem

*itidem membra nos corporis Christi, & ex eius carne atque ossibus esse, & in vnum cum ipso corpus coalescere: cùm nulla interim mutatio eiusmodi in aqua ipsa efficiatur. Rom.9.a.3. 1.Cor.12.b. 12.13. Ephes.4.c.15.16. & 5.d.30. Gal.3.d.27.

M. Perge.

A. In vtroq; sacramento, rerum externarum naturis non mutatis, sed accedente † Diuino verbo, gratiaq; cœlesti, ea est efficientia, vt sicuti per baptismum semel * regeneramur in Christo, & in eius corpus primùm quasi cooptamur & inseramur: ita Cœnam Dominicam † rite percipientes, corporis & sanguinis sui nutrimento planè Diuino, & salutis atque immortalitatis pleniſſimo, spiritus sancti opera nobis communicato, à nobis verò fide, quasi animæ nostræ ore, excepto, ad æternam * vitam iugiter alamur atque sustentemur: vtrobiq; in vnum cum Christo corpus coalescentes? Ephes.5.d.26. Gal.3.d.27. Ephes.5.d.26 Tit.3.b.5. * Ioh.6.d.35.f. 51.54.55. 1.Cor.11.g.28. 29. Ioh.6.f.51.54. &c.

M. Aliter ergò etiam quàm per solam cœnam sese nobis Christus exhibet, arctissimaq; nos coniunctione sibi copulat. Rom.4.d.25.& 5.b.8. 1.Cor.15.a.3. 2.Cor.5.c.14.15.

A. Christus tum se nobis authorem salutis in primis exhibuit, quum morti † sese pro nobis obiecit, ne nos merita morte periremus. Per * Euangelium item sese fidelibus exhibet, & clarè docet, se panem esse illum viuum, qui de cœlo ad nutrendas sibi fidentium animas descendit. Sed & † in baptismo, vt antè est explicatum, Christus se nobis efficienter exhibuit, quòd nos tunc Christianos effecerit. d.21. * Mar.16.c.15. 16. Ioh.6.d.35.e.47. 48.f.58. Rom.1.b.16. 1.Cor.15.a.1. 2.Cor.4.2.4. Mar.16.d.16. Rom.6.a.3.&c. 1.Cor.12.b.13. Gal.3.d.26.27.

M. Neque minùs arcta coniunctionis vincula in Cœna esse dicis?

A. In Cœna verò Dominica & illa, quam dixi, communicatio nobis confirmatur * & augetur etiam, dum quisq; eam ad se pertinere, & peculiari quadam ratione sibi Christum exhiberi, vt eo quàm plenissimè, coniunctissimeq; perfruatur, tum verbis, tum mysterijs diuinis certior fit: vt non animæ solùm nostræ, † eius sacro corpore atque sanguine tanquam proprio suo alimento nutriantur: sed & corporibus etiam nostris, quòd vitæ æternæ symbolis communicent, quasi dato pignore, resurrectionis atque immortalitatis certa spes confirmetur: quò tandem Christo * habitante in nobis, & nobis vicissim in Christo manentibus, non modò vitam æternam, sed & gloriam, quam ipsi dedit Pater, nos etiam per Christum in nobis manentem consequamur. Summa illa sit: sicuti non crassam aliquam coniunctionem imaginor, ira arcanam & mirificam illam corporis Christi in Cœna communicationem arctissimam, certissimam, verissimam, & planè summam esse statuo.

Mat.26.c.26 1.Cor.10.d.16 2.Cor.11.c.14

Ioh.6.f.51.53. 54.&c

Ioh.6.f.54.56. 57.& 17.d.22

M. Ex ijs quę iam de Cœna Dominica commemorasti, videor mihi colligere, eam non in hunc finem institutam esse, vt Christi corpus Deo Patri pro peccatis in sacrificium offeratur.

A. Minimè verò ita offertur: nam ipse vt corpore suo † vescamur, non vt illud offeramus, cum Cœnam suam institueret, præcepit. * Offerendi verò pro peccatis prærogatiua ad solum Christum, vt qui

Mat.26.d.26 1.Cor.11.c.24. &c. * Heb.5.b.6.& 7.d.26.&c.& 9. c.11.12.14.9.25. &c & 10. c.9. 10.&c.

qui æternus ille sit sacerdos, pertinet, qui & vnicum illud perpetuumq; sacrificium, moriens in cruce pro salute nostra semel fecit, illiq; abundè in omne tempus satisfecit. Nobis verò nihil restat, nisi vt æterni illius sacrificij vsum fructum, nobis ab ipso Domino legatum gratis animis capiamus: quod quidem in cœna Dominica maximè facimus. Heb.13.c.15.16

M. Sacra igitur cœna, vt video, ad mortem Christi, eiusq; in cruce perpetratum semel sacrificium, quo solo placatus nobis Deus efficitur, nos remittit.

A. Planissimè: nam panis, & vini Symbolis nobis confirmatur Christi corpus, * vt semel pro nobis, ad nos cum Deo in gratiam reconciliandos, hostia immolata fuit, sanguis eius semel ad eluendas peccatorum nostrorum maculas effusus: ita nunc quoq; fidelibus in sacra eius cœna † vtrumq; exhiberi: vt reconciliationem gratiæ ad nos pertinere certò sciamus, fructumq; redemptionis per mortem eius partæ capiamus atque percipiamus. Rom.5.b.8.& 6. b.10. 1.Cor.15.a.3 2.Cor.5.c.14.15 1.Pet.3.d.18 † Mat.26.c.16. 17.18 Luc.22.c. 19 1.Cor.11.c.24. 25.26.

M. An ergò soli fideles corpore & sanguine Christi pascuntur?

A. Soli omninò: cum quibus enim corpus suum, † cum ijsdem & vitam æternam, vt dixi, communicat. Ioh.6.f.52.53. 54.56.57.&c. Luc.24.f.39

M. Quamobrem corpus & sanguinem Christi in pane & calice includi, aut panem, & vinum in substantiam corporis & sanguinis eius mutari non fateris?

A. Quia illud esset * veritatem corporis Christi Luc.24.f.39

Ioh.20.g.25.27 in dubium vocare : Christum ipsum contumelia afficere: eos etiam qui Sacramentum recipiunt, horrore perfundere, si vel corpus eius tam angusto loco includi, † aut in multis simul locis esse, * vel carnem eius in ore dentibus mandi, & perinde atque alium cibum, extenuari, atque manducari imaginaremur.

Mat.28.a.6
Luc.24.a.6
Ioh.12.b.18.&
16.d.28
* Ioh.6.f.52.g.
60.61.

M. Cur ergò exitialis est impijs sacramenti communicatio, si huiusmodi mutatio non fiat:

1.Cor.11.f.27.
28.29.&c. *A.* Quia ad sancta & Diuina mysteria † per hypocrisin & simulationem accedũt, eáq; impiè cum Domini ipsius, qui ea instituit, summa iniuria contumeliáq; profanant.

M. Nostrum igitur quid sit officium, vt rectè ad cœnam Dominicam accedamus, edissere.

1.Cor.11.f.26.
27.28.&c.
↓ Ierem.24.b.7.
& 29.c.13.
Ioel.2.c.12.13.
16.17.
† Esa.53.toto.
Rom.4.d.25.
1.Pet.2.d.24.
* Luc.15.b.7.&
18.c.13.
Rom.5.a.5.8.9.
1.Tim.1.c.14.
15.16.
† Luc.22.c.19
1.Cor.11.e.24.
25.26.
* 1.Pet.1.d.21.22
& 4.a.1.2.3.
2.Pet.2.d.20.
21.&c.
Tit.2.d.11.12.
13.14.
↓ 1.Cor.10.b.17 *A.* Illud ipsum quod Sacris scripturis docemur : vt videlicet nos ipsos * exploremus, num vera simus Christi membra.

M. Quibus id notis atque indicijs manifestè deprehendemus?

A. Primùm, si ↓ ex animo nos pœniteat peccatorum nostrorum, quæ Christum † ad mortem, cuius nunc mysteria nobis traduntur, adegerunt. Deinde si * certa spe de Dei per Christum misericordia, nos sustineamus, atq; nitamur, cum grata redemptionis per mortem eius acquisitæ † memoria. Præterea, si de vita * in futurum piè degenda seriam cogitationem & destinatum propositum suscipiamus. Postremò, cùm coniunctionis etiam, charitatisq; inter homines mutuæ ↓ symbolum in

cœna

cœna Dominica contineatur, si † proximos, id est, mortales omnes fraterno amore, sine vlla maleuolentia odióue, prosequamur. Mat.22.b.39. Luc.10.c.27 Ioh.13.d.34.35 Rom.13.toto.

M. An quisquam ista quæ commemoras, omnia plenè perfectéq; præstare potest?

A. Absolutio omnibus numeris perfecta, in qua nihil desideretur, * in homine, quoad hunc mundum incolit, inueniri non potest: neq; tamen imperfectio, qua laboramus, nos ab accessu ad cœnam Dominicam, quam imperfectionis nostræ atque imbecillitatis subsidium esse Dominus voluit, arcere debet: immò si perfecti essemus, nullũ inter nos ampliùs vsum cœna iam haberet. Huc tamen quæ dixi spectant, vt * pœnitentiam quisque, † fidémq;, atq; ‡ charitatem, quoad eius fieri potest, synceram, & sine fuco, ad cœnam accedens secum adferat. * Mat.19.c.21. Rom.7.d.18 1.Cor.13.c.9. 10.12. Phil.3.c.12.13 Ierem.24.b.7.& 29.c.13. Ioel.2.c.12.13. † Galat.5.a.6 Col.1.a.4.d.23. & 2.a.5. 1.Tim.1.a.5. 2.Tim.1.b.5 ‡ Mat.22.d.39 Rom.13.toto. 2.Cor.6.b.6.

M. Verùm quùm antea dicebas, ad fidei confirmationem valere Sacramenta, quomodo iam fidem ad ea adferendam esse dicis?

A. Minimè ista pugnant: † fidem enim in nobis inchoatam esse oportet: ad quam alendam & roborandam Dominus Sacramenta instituit, quæ ad * confirmandas & quasi obsignandas in cordibus nostris Dei promissiones, permagna momenta adferunt. † Rom.1.b.17. 1.Thes.3.c.10 2.Thes.1.a.3. Heb.6.a.1 * Act.2.f.42. Rom.4.b.11.& 15.b.8.& 6.a.4. Gal.3.d.27. Eph.2.c.11.12.& 4.a.5. Col.3.b.11.12. 1.Pet.3.d.21

M. Superest adhuc vt dicas, ad quos propriè Sacramentorum pertineat administratio.

A. Quum pascendi verbo Dei gregis Dominici, † Sacramentáq; administrandi officia atq; munera † Mat.28.d.19 Mar.16.d.15

Act.2.f.38.41.& 8.b.12.f.35.36. 37. * Mat.26. Mar.14. Luc.22. 1.Cor.11.

sint inter se iunctissima, non est dubium, quin eorum administratio ad eos pertineat propriè, quibus publicè docendi munus est mandatum. Nam vt in cœna Dominus * ipse publici ministri officio fungens, exemplum suum ad imitandum proposuit: ita baptizandi pariter atq; docendi munus Apostolis suis peculiariter delegauit.

M. Sûntne promiscuè omnes nullo discrimine ad sacramenta à pastoribus admittendi?

Mar.16.d.15.16 Act.2.f.41.& 8. c.12.g.37.& 18. c.8.

A. Olim cùm adulti, † & natu grandiores ad religionem nostram accederent, ne ad baptismum quidem admittebantur, nisi priùs de eorũ fide in præcipuis Christianæ religionis articulis constaret. Nũc quia infantes soli baptizãtur, nullus potest adhiberi delectus. Diuersa est de Cœna ratio: ad quam cùm non nisi adulta iam ætate, accedant, si quem indignum esse palam constiterit, is ad cœnam à pastore minimè est admittendus, quia sine Sacramenti id profanatione fieri non potest.

Mat.26.b.21. 22.&c. Mar.14.c.18. 19.&c. Ioh.13.d.26. 27.&c.

M. Cur Dominus igitur Iudam* proditorem à cœnæ suæ communione non arcebat?

A. Quia eius impietas, vtut erat Domino cognita, nondum erat palàm nota.

M. Hypocritas ergò ministri arcere non possunt?

1.Cor.5.2.

A. Non, quoad occulta eorum nequitia fuerit.

M. Quum ergò Sacramentis boni pariter ac mali promiscuè & communiter vtantur, quæ potest in illis certa esse atq; stabilis cõscientiarum fiducia, quod tu paulò anteà affirmabas?

A.

A. Quamuis † impij, quantum ad ipsos spectat, Dei dona in Sacramentis oblata non recipiant, sed respuant, & seipsos frustrentur: * pij tamen, qui per fidem Christum in illis, eiusq; gratiam quærunt, optima mentis conscientia, & consolatione gratissima, ex salutis, atq; solidæ fœlicitatis certa spe nunquam destituuntur, aut fraudantur.

Ioh.13.d.26.27 Rom.3.a.3.4 1.Cor.10.f.21.22 *1.Cor.10.d.16. & 11.g.28.31

M. At si quos pastor indignos esse vel ipse cognouerit, vel clam admonitus fuerit, eos certè à communione licebit excludere?

A. Tales & concionibus publicis, modò ne nominatim eos proferat, aut infamiam illis maculámue inurat, sed suæ tantùm conscientiæ suspicione, & coniectura eos perstringat, atque coarguat, & admonere debet, & priuatim grauiter etiam deterrere potest: arcere verò à communione, nisi legitima ecclesiæ cognitio, iudiciumq; intercesserit, non licebit.

M. Quod ergò remedium huic malo inueniendum est, atq; adhibendum?

A. In Ecclesijs benè institutis atque moratis, certa, vt *antea dixi, ratio atque ordo gubernationis instituebatur atq; obseruabatur. Deligebantur seniores, id est magistratus ecclesiastici, qui disciplinam ecclesiasticam tenerent, atque colerent. Ad hos autoritas, animaduersio, atque castigatio censoria pertinebant: † hij adhibito etiam pastore, si quos esse cognouerant, qui vel opinionibus falsis, vel turbulentis erroribus, vel anilibus superstitionibus, vel vita vitiosa flagitiosaq; magnam

Pag.92. Mat.18.c.15.16.17. Act.14.d.23.& 15.a.4.6.d.22.24. & 20.d.17.f.28 1.Cor.6.a.1.2.& 12.d.28.& 14.c.26.g.40. 1.Tim.5.c.17. Tit.1.b.5 † 1.Cor.5.a.1.4.5.& 11.c.16.d.18.&c.

publicè offensionem Ecclesiæ Dei adferrent, quiq; sine cœnæ Dominicæ profanatione accedere non possent, eos à communione repellebant, atq; reijciebant, neque rursum admittebant, donec pœnitentia publica Ecclesiæ satisfeciſſet.

M. Quis debet esse pœnitentiæ publicæ modus?

A. Qui falsarum opinionum commentis, pietatem veram † lædere, & religionem labefactare conantur: aut vitiosa atque flagitiosa vita graues & publicas offensiones concitarunt, eos æquum est, Ecclesiæ, cui ita facta est offensio, publicè satisfacere, id est, suum coram tota congregatione peccatum ingenuè agnoscere & confiteri, palamq; testari, sibi ex animo dolere, quòd Deum Opt. Max. tam grauiter offenderint: religionem Christianam, quam sunt professi: Ecclesiam, in qua censebantur, quantum in ipsis quidem fuerat, ignominia affecerint: quodq; non peccato solùm, sed pernitioso etiam exemplo alijs nocuerint: à Deo primùm, deinde ab eius Ecclesia veniam se petere atq; precari.

1.Cor.10.g.32 Tit.3.c.10.11 1.Thes.5.c.14 2.Thes.3.d.14.15 * 2.Cor.2.b.6. & 7.c.9.10.

M. Quid deindè fiet?

A. Postremò, vt in ecclesiam, è qua suo merito eiecti sunt, & ad sancta eius mysteria rursum admittantur, suppliciter postulare, atq; orare debent. In summa, eam adhiberi in pœnitentia publica moderationem oportet, vt neq; seueritate nimia, qui peccauit, animum despondeat: neq; rursum facilitate nimia, ecclesię disciplina labatur, atq; eius imminuatur authoritas, cæteriq; ad similia audenda animentur atq; incitentur. Sed vbi seniorum, pastoriq; iudicio, & eius, qui peccauit, castigationi, & exemplo aliorum satisfactum fuerit, rursum ad communionem eccle-

2.Cor.2.b.6.7 & 11.

2.Cor.2.b.6.10

siæ,

siæ, qui erat excommunicatus, admittebatur.

M. Video te, fili mi, prima Christianæ pietatis institutione benè formatum esse, eiusq; summā memoria tenere. Superest vt ad hāc cognitionis piæ regulam, vitam tuā ita dirigas, ne frustrà ista didicisse videaris. Non enim qui audiūt * tantùm, intelliguntq; verbū Dei, sed qui Dei voluntati obsequūtur, atq; imperio eius obtēperāt, beati erūt. Immò seruus ille, qui Domini voluntatem nouerit, neq; obsecundarit, † grauiùs vapulabit: adeò nihil potest pietatis, religionisq; veræ intelligentia, nisi vitæ etiam integritas, innocentia, atq; sanctitas accedant. Agè igitur mi fili, omni cura & cogitatione in hoc incumbe, vt ne in officio labaris, aut ab hac piæ vitæ norma, atq; præscriptione vnquam aberres.

Conclusio cum exhortatione.

Mat.7.d.21. & 12.d.50. Luc.11.d.28 Rom.2.c.13 Iacob.1.d.22.23. 24.&c. † Luc.12.f.47 Iacob.4.d.17.

A. Dabo operam venerāde præceptor, & nihil prętermittam, quantum quidem facere, & omni ope atq; opera eniti possum, quo professioni nominiq; Christiano respondeam. Sed & à Deo optimo maximo supplex precibus & votis omnibus semper exposcam, ne cœlestis doctrinæ suæ semen, in animo meo quasi arido * steriliq; solo exceptum perire sinat: sed gratiæ suæ † Diuino rore cordis mei siccitatem, sterilitatémq ita irriget atq; fœcūdet, vt vberes pietatis fructus feram, in regni cœlestis * horreū & cellam condendos, atq; reponendos.

Mat.13.a.4.5.6. 7.c.19.20.21.22 † Psal.1.a.3.& 104.c.13. Mat.33.a.8.c.23 1.Cor.3.b.6.7 * Mat.3.c.12 Luc.3.c.17

M. Ita facito mi fili, neq; dubita, quin vti hāc mentem voluntatemq; † Deo duce suscepisti, ita studij huius tui, conatusq; pij euētum & exitum, quem optas atque expectas, id est, optimum, fœlicissimúmq; reperturus sis, atque habiturus.

2.Cor.3.b.5 Phil.2.b.12.13

FINIS.

VOCABVLA NOSTRATIA,

& loquendi formæ Christianorum propriæ, in quibus à communi more verborum Latinorum discessum est, ex literarum ordine sequuntur.

A.

ANgelus, Græca vox. Latinè nuntius, internuntius, legatus, index.

Angeli, id est spiritus, vel mentes cœlestes, nostrum: veteres Græci Dæmonas, Latini genios vel lares appellarunt.

Animalis homo: vide caro.

Apóstolus, Græcè, Latinè legatus.

B.

BAptismus: vide Sacramentum.

Benedicere: vide maledicere.

Blasphemia Græc. Latinè, execratio, maledictum max. in Deum.

C.

COelum, in singulari numero, potiùs quàm in plurali cœlos vsurpare solet Cicero.

Caput, pro præcipua parte, membra, pro alijs partibus rei alicuius, vt & corpus, pro vniuersitate aut societate populi vsurpant Cicero & Liuius: vt totum corpus Reipub. curare, vnum corpus Reipub. esse, Ciuitatis corpus, vnũ corpus conciliumq; totius Peloponesi. Cice. Cur non ecclesiæ corpus, id est piorum vniuersitas, vel Respub. Christiana? Vnius corporis esse, id est societatis; Liuius. Christus ecclesiæ caput, nos ecclesiæ membra: Latinitas in his est ferenda. At corpus Christi, pro ecclesia, & piorum vniuersitate: & nos membra Christi, aut membra corporis Christi locutiones nostra propriæ sunt.

Caro, pro genere humano: vt omnis caro fœnum: nostrum.

Caro itẽ pro vitiosa & corrupta natura: & carnalis vel animalis, vel vetus homo, pro tali natura prædito: sic filij iræ, id est, in grauissima apud Deum offensa. Carnem, membra terrestria mortificare, carnem crucifigere, veterem hominẽ deponere, exuere, crucifigere, expurgare vetus fermẽtum: nostra sunt propria. Et contra, spiritus, spiritualis, vel spiritalis, nouitas spiritus, nouus.

nus homo, noua creatura, renouari spiritu, ambulare secundum spiritum, noua conspersio, nouum hominem induere, regeneraci, regeneratio, regeneratus, renasci, renatus, apud nostrates vsurpantur, quum natura vitiosa reparationem, vel renouationem, aut hominem diuina virtute, mente, vel diuino consilio præditum, diuino spiritu vel numine afflatum aut instinctum cœlesti vel diuino afflatu, inflatu, vel instinctu motum, vel actu, & vera pietate diuinitùs imbutum, significamus. Gratia Dei pro diuino afflatu, instinctu, vel virtute: nostrum.

Catechismus, vel potiùs Catechesis, Græc. Latinè, Prima institutio: vt & Catechumeni, Catechizatio: nostratia.

Catholica, vide Ecclesia.

Certitudo, & incertitudo, vide Credo.

Claues, claudere, recludere cœlum, ligare, soluere peccata, vel peccatores, metaphoræ nostræ: vt sunt etiam retinere, vel detinere peccata, pro, non condonare: nostratia.

Cõcupiscentia. i. rerũ malarũ appetitus, vel appetitio: nostrũ.

Contritio, vide pœnitentia.

Corp° Christi, p ecclesia, & piorũ vniuersitate: nost. vide Caput

Credo, cum accusatiuo, & præpositione, nostrum: vt credere in Deum. i. Deum verè agnoscere, illi fidem habere, illi cõfidere, spem & fiduciã omnem in illo collocare: nam hæc omnia simul complectitur. Credo item, cum solo accusatiuo: vt Credo resurrectionem mortuorum, & vitam æternam, id est, certò expecto, vel spero: nostra sunt. Fides item cùm non solùm Dei cognitionem, & credulitatem, sed & fiduciam quoq; in Deo significat, & fidelis pro tali fide prædito: & contraria, infidelitas, infidelis, nostra sunt propria. Propiùs accedunt ad latinitatẽ hoc sensu, diffidens, diffidẽtia, incredulus, incredulitas: sic suspensus, incertus, dubius, obscura spe pendens, pro infideli, latina sunt. Certitudo & incertitudo, parum vsitata Latinis. Fides est firma opinio, Fiducia, Fidentia, firma animi confisio, Ciceroniana sunt: verùm ea fidem nostram plenè non explicant, sed eius duntaxat partem significant. Credo, fido, & spero, sæpè in nostra religione finitima sunt significationis, quam his ferè formis latini exprimunt. Est mihi fiducia, est firma animi confisio in Deo. Est mihi stabilis Diuina per Christum benuolentia fiducia. Spes

omnis resident, spem omnem colloco in Deo, in Christo. Spem certam concipio, sustineo me, & nitor spe venia, immortalitatis, vitæ sempiternæ &c.

Creo, creatio, creator, conditor, effector, fabricator, artifex, opifex, ædificator mundi Deus, sic effectio, fabricatio, artificium: Ciceroniana sunt. Opificium Varro non Cic. Creatura verò Latinis inauditum. Ex argilla, lutoá, fictus homo. Hominem humo excitatum, celsum & erectum constituit. Hominem generauit, & exornauit Deus. Animum ex sua mente & diuinitate genuit Deus. Deus parens huius vniuersitatis. Lucem qua fruimur, spiritum quem ducimus, commoda quibus vtimur, à Deo nobis dari videmus: modi loquendi sunt apud Cic.

Crucifigo, crucifixus. Quintil. Plin. Suetony sunt, non Ciceronis. Passio Christi, pro estu supplicio, cruciatu, & morte: sic passus absolutè, sine alia voce adiuncta, nostratia sunt. Multa grauia, horrenda passus: Latin. De Christo crucifixo, aut passo, sic Latinè dici potest. Christus in crucem sublatus, vel actus, crucifixus, cruce affectus, innocens pro nocentibus pœnas luit: alieni peccati pœnas sustinuit, pertulit, persoluit: supplicium pro nobis pertulit: supplicio, cruciatu, cruce, morte affectus est, pro peccatis nostris pœnas pendit, dependit, tulit.

D.

DÆmones Græcè, lares Cicer. Ethnici in bonam partem accipiunt.

Dæmones: id est, mentes, vel spiritus impij & malitiosi: nostrum.

Deitas, nostrum: Diuinitas, Numen diuinum. Cicer.

Diabolus Græc. Aduersarius, Budæo: Calumniator, Erasmo: deceptor, delator.

Dilectio pro amore, vix audita Latinis.

Dilectus Virg. & Ouid. dilectissimus, Statij.

E.

ECclesia, Græcum: Latin. congregatio. Ecclesia Catholica: Latin. vniuersa congregatio, vniuersitas piorum hominum: vniuersitas legitur lib. ad Herennium. Respub. Christiana, vel Christianorum.

Electi Dei, substantiuè, pro electi a Deo: nostrum. Sic prædestinari

destinari, prædestinatio, prædestinatus, præscientia, præscitus, verba sunt nobis peculiaria. Cicero. Deus non ignorat ea, quæ ab ipso constituta & designata sunt: id est, Deus præscit prædestinata, vt nos loquimur. Præscisse oportuit. Terent.

Effectus, substantiuè, Plin. Property, non Cic.

Effectio, euentus, euentum, & euenta in plu. Cic.

Essentia, & substantia, Plauti, Quintiliani, Plinij, non Ciceronis.

Ethnici, Græc. Gentiles, Gentes, pro alienigenis, impijs, idolatris, aliys quam Christianis, aut Iudæis: nostra voces sunt.

Euangelium, Græc. Latinè bonum nuntium: apud nos sacras Noui Testamenti historias, & scripturas significat.

Euangelista, scriptor Euangely, quales fuerunt illi quatuor: Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes: vel qui de Euangelio concionatur apud populum: nostrum.

Excommunicare, pro Ecclesia eycere, expellere, vel arcere: nostrum. Sic, Excommunicatio, pro expulsione vel ejectione.

F.

Fides, vide Credo.

G.

Gentiles, vide Ethnicus.

Glorificare, vide sanctificare.

Gratitudo, Latinis hominibus inaudita: Ingratitudo inusitata:

Gratus, & ingratus, Latina sunt.

Gratia Dei, vide Caro, in fine.

H.

Hypocrisis Græc. Latinè Simulatio, alienæ personæ simulatio: hypocrita, simulator alienæ personæ.

I.

Iesus, Hebraicè: Latinè seruator.

Idolum, idololatra, idololatria, Græc. Lat. simulachrum, simulacrorum cultor, & cultus. Idololatria latius apud nos patet, omnẽ Diuinum cultum cuiquam, præterquam soli Deo, habitum significans.

Imperfectio, & increatus, Latinis inusitata sunt.

Incomprehensus a Cic.

Incomprehensibilis, ab aliis vsurpatur.

Incorporeus, incarporalis, Quintil. Senec. Gell. non Cic.

Inferna absolutè sine substantiuo addito, nostrum: vt Descendit ad inferna: ad inferos Latinè.

Infidelis, Infidelitas: vide Credo.

Inobedientia, inobediens, nostra: inobsequens, Sene. in hippol. minùs obsequens, minùs obediens, Lat.

Interior, intimus, a Latinis vsurpantur, sed non internus: quum tamen externus, extrarius, extraneus vsitata sint.

Inuisibilis, vide Visibilis.

Inuoco, oro, precor, Latina. Inuocatio, oratio, pro precatione, precibus, aut votis, intercedere item & intercessio, nostra. Diuinum numen scelere violatum precibus placare. Cic.

Iustificare, vide Sanctificare.

Iusiurãdum Latina vox est, iuramentum Latinis inusitatũ.

Lauacrum apud Claud. & Gell. Lauatio apud Ciceronem legitur.

M.

Malitia, xaxia, quam vitiositatem Cicero mauult appellare, quàm Malitiam. Malitiam enim certi cuiusdam vity, vitiositatem omnium nomen esse. Sic xaxias, vitia mauult, quàm malitias nominare.

Maledicere, vna vox, nostrum: pro execrari, denouere, diris denouere, diras obnuntiare: Cicero. Maledictus item pro execrando, execrabili & detestabili, & maledictio pro execratione, nostra sunt. Sic benedicere. i. fausta precari, vel bene ominari. Benedictus item, & benedictio, nostra tia.

Maledicus, maledictio, maledictum, pro probro aut conuitio, vsitata: maledicentia vix inuenitur, quum maleficentia latinum sit.

Mandere & Mandi, Cic. Manducare rarum. Manducari vix inuenitur.

Mediator, pro aduocato aut patrono, nostrũ. Intercessor apud Senecã pro mediatore: sed aliud Ciceroni significant Intercessor, & intercedere. Deprecator, pacificator, pacis interpres. Cic.

Membra Christi, aut Membra corporis Christi, locutiones

nostra

nostra sunt. vide Caput.

Minister Dei, minister Ecclesiæ, vel minister Ecclesiasticus, pro eo quē Sacerdotē dicimus, usurpari possunt. Sic enim Cicero loquitur. Ministri publici Martis, atque ei Deo consecrati.

Mortifico, Mortificatio: vide Caro.

Mundani pro impijs. Mundus, pro impiorum vniuersitate. Seculum pro Mundo, nostratia. Res mundana, res incerta, lubrica, fluxa, fugaces, caduca. Cic.

O.

OBseruare leges, Cic. Obseruator legis, vix legitur apud Lat. Omnipotens, Plautus & Cicero, ex veteri poeta. Omnipotentia, nostrum. Prapotēs, omnium rerum prepotens Deus, Cic. Immensa, infinita, interminata magnitudo, potentia, &c.

Oratio, vide Inuoco.

P.

PEccator pro nocente, sonte, impio, nefario: nostrum.

Peccatum originis, originale peccatum: nostratia. Origo peccati, Ouidius. Origo boni, Cicc. Natiuum malum, insitum in natura malum. Cic. Naturale malum, Ouid. Cur non & naturale peccatum? Natura corrupta, Quintil. Natura mendosa, Hor. Natura depranata. Natura improbi, contra naturam depranati, Cic.

Passio, passum. vide Crucifigo.

Persona in trinitate: nostrum.

Pœnitentia, Liuius, Plinius. Ex conscientia peccatorum timor. Cicc. Pro quo nostri quidam contritionis nomine usi sunt. Resipisco usitatum. Resipiscentia insitatum Latinis.

Prædestinatio, præscientia, vide Electi.

Profano, profanatio: Liuius, Plinius, non Cicero. Violare sacra, Cicero. Violatio templi: Liuius. Violator templi: Ouidius.

Propheta, & prophetia, Grac. Lat. Vates, vaticinatio, prædictio diuina. Propheta, pro sacrarū literarum interprete: nostrū.

Proximus, vicinus, frater, charitatis vocabula, nobis sunt peculiaria. Frater eum, qui eandem nobiscum religionem profitetur, significat. Proximus & vicinus, vniuersitatem humani generis complectuntur. Fraternus amor, pro mutuo amore Christianorum nostrum.

R.

Remissio pœna, apud Cicer. sic & culpæ remissio dici potest. Resipiscentia, vide pœnitentia.

Resurgo, Livius, & Ouidius. Reuiuisco, reuiuiuus, Cic. Resurrectio, carnis resurrectio: nostra. Excitare aliquem à mortuis. Excitatio corporum à mortuis: pro conditione vitæ mortalis, immortalitatem consequi, Cic.

S.

Saluare, saluator, saluatio, Latinis inaudita. Seruare, seruator, seruatrix, conseruator, conseruatrix, conseruatio, liberator, liberatio, Latina sunt. Redemptor, id est, seruator aut liberator: nostrum. Restitutor salutis. Cic.

Sacramentum, pro mysteriis Diuinis: nostrum. Baptismus Græc. Latin. immersio vel intinctio, lauatio salutaris, expiatio aqua salutari. Cœna Domini, vel Dominica, Communio, Eucharistia, Græcè, Latinè gratiarum actio.

Lauacrum Claud. & Gell. Lauatio, Cic.

Sancti, sanctorum, sine substantiuo addito, insitatum Latinis. Sanctificare, sanctificatio: Glorificare, glorificatio: Iustificare, iustificatio, nostratia sunt. Sanctitas, sanctimonia, sanctitudo: Latina.

Sanctificare, & glorificare ad Deum relata: vt sanctificetur nomen tuum, nostra. Sanctè colatur, gloria, honore afficiatur: Gloria Dei, vel nomen Dei amplificetur, celebretur, laudibus celebretur, amplitudo eius illustretur, Ciceronis & Liuij sunt.

Sanctificare & iustificare, ad homines relata: vt Deus suos iustificat, sanctificat, nostra. Sanctos atque integros facit, efficit, reddit: sanctitati, innocentiæ atque integritati, vel in sanctitatem, atque innocentiam restituit, sanctorum atque innocentium loco habet, ponit, collocat, damnatos in integrum restituit, &c. Latina. Fide, vel per fidem iustificamur, nostrum. Iustitia fundamentum fidei: virtutum omnium fundamentum fides. Cicero. Iustificus, qui iusta facit, Catullus: Poeticum est.

Spiritus, spiritualis, vide Caro.

Scriptura, apud Ciceronem, ferè pro stylo vsurpatur. Sic tamen

tamen alicubi loquitur, plura etiam verbo, quàm scriptura mãdata dedimus: In Rhetorica ad Herennium, & Terent. propiùs ad nostrum sensum accedit. Sacra litera: profana pagina, Claud. cur non & sacra pagina?

Verbum Dei pro sacris literis, nostrum: Verbum veritatis pro sacra scriptura quid ni? Vt verbũ voluptatis apud Ciceronẽ. Psal. 119. 43. Iacob. 1. c. 18.

Sensibilis, vide Visibilis.

Subditus, vel subiectus absolutè sine substantiuo, pro eo, qui paret, nunquam a Cic. usurpatur. Parcere subiectis. Virg.

Substantia, vide, Essentia.

T.

TEntatio, pro sollicitatione ad vitia: & inducere in tentationem, usurpatur à nostris. Noui morborũ tentationes: Cic.

Tractatio usitatior apud Cicer. quàm tractatus: &, Artis, Philosophiæ, &c. tractatio vel tractatus: potiùs quàm tractatio vel tractatus de arte, philosophia. &c.

Traditiones, pro doctrinis aut inuentis humanis, pro opinionum commentis futilibus, & commentitijs sententijs, fabulis, nugis: nostrum.

Trinitas nostrum. Trinus, ternus, vel terni potiùs. Triplex, triplus, Latina sunt: verùm hic, vt alibi sæpè, pietatis potiùs, quàm Latinitatis rationem habere oportet.

V.

VEnerandus, ad Deum & religionem ferè semper: honorandus, ad homines refertur à Cic. Reuerendus, reuerendissimus, in titulis consuetudini condonantur.

Verbum Dei, vide scriptura.

Vetus homo, vide caro.

Vindicatio Cic. Vindicta, vltio, Quintil. & alij.

Vnitas, Col. Plin. non Cicero.

Vita noua, pro innocentia: nostrum. Latinè, studium innocentiæ atque sanctitatis. Auocare animum à vitijs, à peccatis: prauos affectus & appetitus vitiosos frenare. Cic. Rarum est quoddam genus eorum, qui se à corpore auocant, & ad diuinarum rerum cognitionem cura omni, studioq; rapiuntur.

Visus raro, aspectus sæpè apud Cicer.

Visibilis, & Sensibilis, Plinij, non Ciceronis: conspicuus, aspectabilis,

pellubilis, spectabilis, sub oculos, sub aspectum cadens, vel visus, sub oculorum sensum cadens, sub sensibus, in sensum cadens, in sensum cernendi cadens, percipere sensibus, Ciceronis sunt. Invisibilis, inconspicuus vi gratia invisibilis, Latina non sunt: occultus, abditus, pellus, non conspicuus, Latina sunt.

Z.

Zelotypus, vel Zelotes potius, & Zelotypia, Græca sunt. Socij impatiens, socij impatientia, Plinij sunt potius quàm Ciceronis. Zelotypia, inquit Cicero, est ægritudo ex eo, quod alter potiatur eo, quod ipse concupierit.

FINIS.

LONDINI
Apud Iohannem Dayum.

Anno. 1574.

Cum gratia & Priuilegio Regiæ Maiestatis.